OPUSCULA ACADEMICA

SEORSIM OLIM EDITA

NUNC RECOGNITA

IN UNUM VOLUMEN COLLEGIT

AUCTOR

IOHANNES SCHWEIGHAEUSER

IN ACAD. ARGENT. PROF.

INSTITUTO NAT. FRANC. ADSCRIPTUS.

PARS POSTERIOR.

COMMENTATIONES PHILOLOGICAE.

ARGENTORATI

EX TYPOGRAPHIA SOCIETATIS BIPONTINAE

MDCCCVI

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRO ILLUSTRI

CHRIST. GOTTL. HEYNIO SUO

GOETTINGENSIS ACADEMIAE LUMINI

GERMANIAE PRAECEPTORI

DE OMNI LITERARUM GENERE

AD HUMANITATEM SPECTANTIUM

DE CUNCTISQUE STUDIA HAEC COLENTIBUS

IMMORTALITER MERITO

PIETATEM ET OBSERVANTIAM OBSTRICTUMQUE ANIMUM

PUBLICO TESTIMONIO DECLARATURUS

LIBELLUM HUNC

D. D. D.

IOHANNES SCHWEIGHAEUSER.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRAEFATIO.

PHILOSOPHICIS COMMENTATIONIBUS, quae ſuperiori Parte huius Voluminis continentur, ut *Philologicas* adiungerem, quas in parato haberem, rogavit me Exterus, Vir doctus, qui typographiae Societatis Bipontinae, quae Argentorati hodie ſuas ſedes habet, praeeſt. Cuius voluntati eo facilius morem geſſi, quod ne harum quidem ſuppetebant exempla, quibus deſiderio eorum, qui ſubinde a me ea requirebant, ſatisfacerem. Emendationibus & Obſervationibus in Suidam novum adieci Faſciculum: quem quidem *novum* non ita dico, ut, quae hoc faſciculo continentur, eadem a nemine ante me obſervata fuiſſe autumem, ſed eo quod in aliorum ſcriptis commemorata legere non memini.

Scripſi Argentorati d. X. Iulii, MDCCCVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

COMMENTATIONES PHILOLOGICAE.

Digitized by Google

Digitized by Google

I.

EXERCITATIONES IN APPIANI ALEXANDRINI ROMANAS HISTORIAS.*

LECTURIS

IOHANNES SCHWEIGHAEUSER

S. P. D.

VIR humaniori omni doctrina politissimus SAMUEL MUSGRAVIUS, Medicinae Doctor Londinensis, qui, quidquid severioribus professionis suae negotiis decerpere otii poterat, id Graecis illustrandis Literis consueverat tribuere, editis immortalibus in EURIPIDEM laboribus, APPIANI ALEXANDRINI *Romanam historiam* nova editione decreverat perpolire, eamque adeo studiis Eruditorum, a quibus immerito eamdem paene neglectam videbat, commendare. Illud consilium MUSGRAVIUS agitans, BRUNCKIO nostro, Viro Celeb. qui erat ei coniunctissimus, per literas significaverat, sibi ad novam cum fructu adornandam APPIANI

[* Reliquus huius Commentationis titulus olim hic fuerat: *Praeside Iohanne Schweighaeuser, Graecar. & Orient. Literar. Prof. Publ. Ord. solemni Eruditorum examini subiicient, d. XIX. Martii, Sectiones tres priores, ac rationem totius Commentationis, Ioh. Georgius Dahler; d. XXI. Martii, Sectionem IV. & V. Godofredus Heisch; d. XXIII. Martii, Sectionem VI, Ioh. Iacobus Küss, Argentinenses: in Universitate Argentoratensi, A. MDCCLXXXI.*

Digitized by Google

editionem videri maximum fore momentum adlaturum, ſi *Codicis Auguſtani* eius, e quo olim DAV. HOESCHELIUS *Romano-Illyricam APPIANI hiſtoriam* ediderat, collationem cum impreſſo aliquo APPIANI exemplo nanciſci poſſet. De quo MUSGRAVII deſiderio quum mecum conferret BRUNCKIUS, lubens equidem meam qualemcumque operam ad illud conficiendum negotium doctiſſimo Britanno ſpopondi; atque haud ita multo poſt, per benevolam virorum mihi amiciſſimorum operam, HOERNERI, *V. D. M.* ac MERTENSII, *Lycei Auguſtani Rectoris, ac Bibliothecarii*, ab illuſtrium Praefectorum Bibliothecae Auguſtanae liberalitate praeſtantiſſimum illum APPIANI codicem nactus, mox eumdem cum exemplo meo editionis HENR. STEPHANI coepi conferre.

Ea occaſione ſtudioſe APPIANUM perlegens, duabus rebus certatim me haud vulgariter ſenſi commotum: hinc, ſingulari quadam ipſius lectionis dulcedine, ac nobili illa lucidaque ſimplicitate, quae mira cum gravitate in Scriptoris huius narratione feliciſſime coniuncta eſt; illinc, miſerrimâ conditione Editionum praeclariſſimi operis, quas ad hunc diem habemus, quas nimirum omnes innumeris vitiis atque indigniſſimis ſordibus usquequaque ſcatere videbam. Cui rei quum accederet, ut plurimorum depravatorum locorum, ac in his maxime etiam deſperatorum, paratam medicinam optimo illo *Auguſtano* Codice contineri viderem, atque ut praeterea ex eo, quod mihi imparato inter legendum uſu veniebat, facili emendatura intelligerem, plurimis aliis locis felicem certiſſimamque medelam a viro in his rebus paulo exercitatiori poſſe adferri; laetus mox MUSGRAVIO reſcribens, adiectis compluribus ſpeciminibus, demonſtravi, quanto iure multum ſibi & APPIANO ſuo ab illo Codice ſperarit. Simul eidem, inter alia quae de APPIANO differebam, ſignificavi, quantam Scriptorem illum, in tam emendato praeſertim Codice, perlegens caperem voluptatem, ut mihi paene ipſi, ni a longe feliciori exercitatiorique ingenio occupatum hoc

Digitized by Google

opus gauderem, aliqua edendi APPIANI cupido esset coortura.

Ad haec MUSGRAVIUS perhumaniter mihi respondens, gratias primum agere amicas pro opera a me sui caussa suscepta; tum vero significare, se, quum ad eum diem, quo de APPIANO ad BRUNCKIUM scripserat, nonnisi velut e longinquo de edendo illo Scriptore cogitasset, neque adeo multum adhuc studii aut operae in ea re posuisset, proximis mensibus ea corporis infirmitate fuisse correptum, quae ipsum vitae summae brevis nimis etiam efficaciter admoneret, atque spes omnes vetaret inchoare longas. Quare se totum illud APPIANI edendi consilium deponere esse coactum; sed eo magis gaudere, quod sibi ex literis meis intellexisse videretur, me deserti Auctoris patrocinium haud gravate suscepturum. Hinc hortari me Vir optimus coepit, atque etiam urgere, ut serio id agerem; denique ultro offerre, se ea, quae quidem pauca admodum essent, quae ipse ad APPIANUM in schedis suis per occasionem adnotasset, ad me, si ita vellem, transmissurum.

Brevi interposità morâ MUSGRAVIO rescribo, me, quamquam vehementer dolerem, APPIANUM tali patrono, qualis ipse futurus fuisset, ac tali praesertim de caussa, debere carere, conditionem propositam, quoniam ita res ferret, libenter accipere, magnasque ipsi gratias habiturum, si, quae ad APPIANUM adnotata in schedis suis haberet, mecum communicasset: alia praeterea nonnulla de tota APPIANI edendi ratione adiungo, ipsius potissimum MUSGRAVII, ut qui primus illud consilium cepisset, sententiam iis de rebus requirens. Responsionis loco haud ita multo post tristis adfertur mihi nuncius de obitu longe nobilissimi Viri; quem mecum omnes politiorum literarum studiosi merito deplorant. Atque adeo ad APPIANUM quoque nostrum, etiam postquam consilium eius edendi deposuerat MUSGRAVIUS, pars illius luctus haud exigua hactenus pertinet, quod non solum illis sive adiumentis

Digitized by Google

ſive ornamentis nunc carere neceſſe ſit noſtram APPIANI editionem, quae a ſummi Viri conſiliis monitisque labori noſtro fuerant acceſſura; ſed quod etiam nulla amplius ſpes ſuperſit, chartas illas ad APPIANUM pertinentes, de quibus mihi ſcripſerat MUSGRAVIUS, umquam videndi. Monuit enim me per literas amicus defuncti, TYRWHITTUS V. Cl. quem ea de re compellavi, omnes MUSGRAVII ſchedas, praeter pauciſſimas quasdam, per teſtamentum expreſſis verbis deſignatas, inter quas nihil erat ad APPIANUM pertinens, ex voluntate Auctoris paulo poſt eius obitum flammis eſſe traditas. [*]

Reſtat, ut eam iacturam nos, tanto maiori ſtudio in noſtram Scriptoris huius editionem conferendo, aliisque eruditis Viris in conſiliorum partem tam ſtudioſe quam officioſe invitandis, ſarcire quoad optime fieri poterit enitamur. Atque equidem ex eo tempore, quo mihi velut ultimam ſuam de APPIANO voluntatem ſignificans MUSGRAVIUS rem totam noſtrae potiſſimum curae commendaverat, ſerio iam coepi editionem Scriptoris huius meditari; cum aliisque etiam Viris, quorum auctoritatem in huiusmodi rebus in primis magni faciendam arbitrabar, conſilia conferre; denique quaecumque ad adornandam novam deſerti iam pridem atque orbi Scriptoris editionem, & commentariis quoad opus fuerit eumdem illuſtrandum,

* [Praeter ſpem opinionemque deinde, exacto fere biennio a Musgravii obitu, adlatum eſt ad me exemplum Appiani ex editione Caroli Stephani, illud ipſum quod olim *Musgravii* fuerat; cuius libri oris paſſim inſcriptae erant ipſius Musgravii manu *Emendationes* ex doctiſſimi viri ingenio depromtae: quumque in illa editione non exhibeantur tres libri, Hiſtoriam Hiſpanienſem, Annibalicam & Illyricam continentes, adiectae erant ſchedae nonnullae, quibus ſimiles Musgravii Emendationes, ad praedictos Appiani libros ſpectantes, erant inſcriptae. Denique erat brevis Epiſtola, ab eodem Musgravio tremulâ manu paucis ante obitum diebus (d. XXVI. Iulii, MDCCLXXX.) ad me perſcripta; qua ſignificaverat Vir optimus, illud mihi munus a ſe eſſe deſtinatum. Quod munus quum equidem non dubita-

pertinere videbantur, comparare. Et quum tres illae, quas ad hunc diem habemus APPIANI editiones, (*Parisiensis* CAR. STEPHANI, MDLI. fol. *Genevensis* HENR. STEPHANI, MDXCII. fol. *Amstelodamensis* ALEX. TOLLII, MDCLXX. 8.) nonnisi ex uno eodemque vitiosissimo Codice [**] sint expressae; prima mihi ac praecipua cura comparandis aliorum *Manuscriptorum codicum* collationibus tribuenda videbatur. Quare, absolutâ *Augustani* collatione, non solum iam in eo sum, ut *Regios* duos *Parisienses* conferam Codices; sed ne *Italicorum* quidem manuscriptorum exemplarium subsidiis, (in eis certe APPIANI libris, qui in aliis msstis vel raro admodum, vel plane non inveniuntur, *Ibericum* dico librum, *Annibalicum*, & *Illyricum*) carituram esse nostram APPIANI editionem, spero. *Vaticani* autem illius *codicis* vice, quo olim usus est PETRUS CANDIDUS DECEMBER, ipsa antiqui huius ac minime quidem diserti Interpretis *Latina Versio*, plurimis in locis, satis tuto nobis atque commode poterit inservire. Denique ex *Syriaca* Auctoris nostri *Historia* amplam admodum *Epitomen*, a GEMISTO PLETHONE confectam, cuius duo exempla in *Caesarea Vindobonensi* Bibliotheca exstant, in usum nostrae editionis cum impresso APPIANI libro sese collaturum, ultro nobis receperat, de consilio nostro APPIANI edendi vix certior factus, illustris Graecarum Musarum

rem curante eodem Tyrwhitto, quem supra laudavi, in manus meas tandem perveniisse, quumque eo nomine deinde gratum meum animum Viro, quoad vixit, mihi amicissimo in Praefatione ad Appianum nostrum (p. XX.) publice essem professus, familiariter ille mihi rescribens negavit a se illud beneficium esse profectum. Quare aequum censui, ut hac denique oblata occasione gratias debitas, quas possem, agerem persolveremque nobili illi Viro, mihi incognito, qui istum Musgravii librum, cum eis quae inerant schedis, (quem librum ille haud dubie ex viri defuncti bibliothecâ, auctionis lege divenditâ, suo aere redemtum possidebat) cognitâ prioris possessoris voluntate, adeo non modo fideliter, verum etiam benevole liberaliterque ad me transmittendum curavit.]

[** Cf. vero deinde Comment. de Appiani Codd. c. II. §. 3. not. s.]

Digitized by Google

patronus idem atque amicus, ALOYSIUS EMERICUS *Liber Baro* A LOCELLA, *S. Caesareae ac Regiae Maiestati a Consiliis Aulicis;* eamdemque spem, liberalissime nobis oblatam, his ipsis diebus Vir generosissimus incredibili humanitate, neque minus rara sagacitate, quam singulari diligentia, expletam nobis effectamque dedit.

Ac haec quidem praefari, cum *Exercitationes* hasce *Appianeas* edere adgredior, non alienum videbatur: quo scriptionis genere, quasi quadam futurae nostrae APPIANI editionis prolusione, & consilium illud nostrum cum orbe literato communicare, & Virorum doctorum de toto hoc instituto sententiam explorare liceat; simulque Eorum, qui de APPIANO nostro quoquo modo bene mereri haud gravate voluerint, cum consilia, tum operam, officiose flagitare. De his ipsis autem nostris Commentationibus denique monendus est lector, ubicumque loca vel adferuntur vel citantur APPIANI, semper indicari HENR. STEPHANI editionem: quod eo factum est, cum quod illam ipso usu commodissimam expertus sum, tum quod ea ratione simul illis qui hac eadem editione, simul his qui *Amstelodamensi* utuntur, consultum fuerit; quoniam ad editionis *Amstelodamensis* margines paginae editionis H. STEPHANI continua serie adnotatae sunt. [*] *Scripsi Idib. Ianuar. MDCCLXXXI.*

[* Priusquam in nostra Appiani editione, quae quadriennio fere post ista perscripta prodiit, singuli Libri, per quos digestae sunt Scriptoris huius Historiae, fuissent in certum numerum *Capitum* vel segmentorum divisi; quicumque viri docti, suis in scriptis auctoritatem Appiani invocantes, adcurate indicare vellent sedem, qua quodque testimonium in Appiani libris reperiretur, ii *paginam* indicare debuerunt eius editionis qua quisque utebatur. Quare, quo facilius hi, qui nostra uterentur editione, reperirent Scriptoris huius loca, ad quae in historicis scriptis, quae superioribus seculis prodierunt, haud infrequenter provocatur, commode utique factum fuisset, si & Stephanianae editionis & Tollianae Amstelodamensis (quarum alterutra plerumque a viris

SECTIO PRIMA.

Appiani persona & aetas.

De persona atque vita Appiani, Romanae historiae scriptoris, nihil aliud compertum habemus, praeter pauca ea, quae in fine *Prooemii*, operi suo praemissi, ipse *a*) de se his verbis scripsit: Τίς δὲ ὢν ταῦτα συνέγραψα, πολλοὶ μὲν ἴσασι, καὶ αὐτὸς προέφην α. σαφέστερον δ' εἰπεῖν, Ἀππιανὸς *b*) Ἀλεξανδρεὺς, ἐς τὰ πρῶτα ἥκων ἐν τῇ πατρίδι, καὶ δίκαις ἐν Ῥώμῃ συναγορεύσας ἐπὶ τῶν βασιλέων, *c*)

doctis citata est) paginae potuissent in oris nostrae editionis notari. Quod quum propter chronologicas rationes in oris eiusdem editionis nostrae notatas fieri non potuerit, studiosorum hominum commoditati in eo genere, quod modo dicebam, hactenus a nobis consultum est, ut cuique volumini Appiani nostri *Tabulam* subiiceremus, *qua paginae superiorum trium editionum cum paginis & capitibus nostrae editionis conferuntur.* Eamdem igitur Tabulam quisquis inspicere voluerit, is ea etiam loca, quae in hisce nostris Commentationibus ex Henrici Stephani editione citantur, in nostra editione citra difficultatam reperiet; eoque etiam facilius, si noverit memineritque, literis *a. b. c. d. e.* quae literae numeris paginarum editionis Stephanicae adiectae sunt, denotari quinque partes fere aequales, in quas quaelibet pagina eiusdem editionis distincta cenferi debet.]

a) Quae enim Photius de Appiani persona habet, Codice 57. pag. 24. edit. Hoeschelii, ea ex hoc ipso, quem adfero, loco desumta sunt.

b) Ex optimo *Manuscripto Augustano*, atque ex antiqua Petr. Candidi *versione*, hoc nomen Ἀππιανὸς, quod in impressis Graecis exemplaribus desideratur, in contextum recipiendum videbatur. Per simplex autem π scribi a quibusdam nomen istud, monuit Suidas; quam scripturam equidem nullibi fere nisi apud Evagrium reperi, loco infra Sect. IV. nota *b.* adferendo. Eadem autem in duobus *Codicibus Caesareis* occurrit, quibus Plethonis Excerptum ex Appiani *Syriacis* continetur; de quibus vid. Sect. IV. not. χ.

c) Ἐπὶ τῶν βασιλέων, non *sub Caesaribus* hoc loco vertendum

μέχρι με σφῶν ἐπιτροπεύειν ἠξίωσαν. Quinam vero ſim, qui has conſcripſi Hiſtorias, & multi norunt, & ego ipſe in fronte libri indicavi. Planius autem etiam dicam. APPIANUS *ſum* ALEXANDRINUS, *ad primariam in patria mea dignitatem promotus, poſtquam Romae in cauſſis coram Caeſaribus agendis eram verſatus, donec illi me Procuratorem ſuum conſtituere dignarentur. d)*

II. Vixiſſe autem APPIANUM imperante Traiano ac Hadriano, ex ipſa eiusdem hiſtoria ſatis adparet. *e)* Sed produxiſſe etiam vitam usque in Antonini Pii imperium, qui Hadriano ſucceſſit, atque hoc demum imperante edidiſſe Hiſtoriam ſuam; id quidem non ſolum, cum *Gerardo Ioanne* VOSSIO atque *Io. Alb.* FABRICIO, ex Praefatione Auctoris noſtri per facilem rationum collationem colligi poteſt, ſed

erat, ut fecit indiſertus vetus Interpres; nam, *imperantibus Romae Caeſaribus* ſe vixiſſe, non poterat APPIANO in mentem venire ut expreſſis verbis moneret. Melius verba illa latine reddidit alter interpres SIGISM. GELENIUS, *apud Caeſarum tribunalia*; ut ſignificare illis verbis videatur Auctor, ſe non vulgarem fuiſſe cauſſarum patronum in iudiciis ordinariis, ſed in Caeſarum praeſertim cognitionibus.

d) De *Procuratoribus Caeſarum*, qui reditus aut res privatas Principis in provinciis adminiſtrabant, videndi Viri docti ad Lib. I. *Digeſtis* tit. XIX. *de Officio Procuratoris Caeſaris vel Rationalis*; BYNKERSHOEK Lib. II. *Obſervationum Iuris Romani* cap. 20. &, qui ad eosdem provocavit auctores, REIMARUS ad DIONEM CASSIUM Lib. LIII. cap. 15. pag. 708. De *Aegypti Procuratore*, qui Alexandriae reſidebat, ibique cum *Iuridico*, qui dicebatur, proximam poſt *Auguſtalem Aegypti Praefectum* tenebat dignitatem, pauca quaedam adnotavit RITTERUS ad HEINECCII *Hiſtoriam Iuris Civilis* Tom. I. pag. 266. Eum Procuratorem STRABO (Lib. XVII. pag. 797. b. *edit. Pariſ.*) ἴδιον λόγον vocavit; quod idem fere ſonat, quod latinum nomen *Rationalis*, quo ſequiori aevo adpellati ſunt hi, qui prius *Procuratores* dicti erant. Sed ſicut commune Graecum nomen Procuratorum Caeſarum, Ἐπίτροπος, erat; ſic etiam Aegypti Procurator, ἐπιτροπεύων ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ, memoratur DIONI lib. LXXVII. cap. 21. pag. 1306.

e) De Traiano vide Noſtrum *de Bellis Civilibus* Lib. II. pag. 484. c.

Digitized by Google

etiam ex disertis Auctoris verbis, quae alibi in ipso operis cursu leguntur, sua sponte patet. *f*)

SECTIO SECUNDA.

Quam Rationem secutus sit in conscribenda Romana Historia APPIANUS.

I. Ille igitur *Alexandrinus* APPIANUS, amplo satis opere, *Romanam Historiam* ab urbis gentisque incunabulis ad sua fere tempora, Graeco sermone consignatam, qui patrius ipsi atque vernaculus erat, *a*) posteritati reliquit. In qua conscribenda historia quodnam consilium, quamve rationem sit secutus, ipsis fere verbis Auctoris explicare

edit. *Henr. Stephani*, De Hadriano, *Civil.* II. p. 481. d. & *Syriac.* p. 119. c. De utroque etiam PHOTIUS monuit.

f) VOSSIUS *de Historicis Graecis* Lib. II. cap. 13. & FABRICIUS *Bibl. Graeca* Lib. IV. cap. 12. §. 1. id ex eo probant, quod in *Praefatione* APPIANUS dicat, eo ipso tempore, quo historiam suam conscripserit, nondum quidem per ducentos annos Romam tenuisse Imperatores, at urbem per nongentos annos stetisse. Libro autem I. *Civil.* pag. 374. a. de instituto Hadriani, regiones Italiae proconsulibus regendas distribuendi, loquens idem Scriptor noster, non multum post mortem eiusdem Hadriani durasse illud institutum, refert. Idemque in *Hispanicarum* rerum Historia (pag. 275. extr. & pag. 276. ineunte) de Hadriano non secus ac de Traiano tamquam fato iam tum functis, cum illa scriberet, satis diserte loquitur.

Sect. II. a) Neque tamen Latinae linguae imperitiam, qua PLUTARCHUM in Romanorum vitis interdum in errorem inductum fuisse monuerunt Eruditi, APPIANO quispiam facile obiecerit. Praeterquam enim quod Noster Latinis historiae Romanae fontibus, quos raro quidem, sed passim tamen, citavit, diligenter usus sit, de quo *Sectione VI.* fusius dicetur; ex eo sane, quod, Romae cum ageret, non in scholae alicuius umbra aut in philosophico, quod dicebatur, otio tempus transmiserit, sed quod in foro, in civilibus negotiis, in caussis agendis fuerit versatus, satis tuto colligi potest, non mediocri Latini sermonis usu eumdem fuisse imbutum.

iuvabit. *Res igitur populi Romani*, inquit, *b*) *multi & Graeci & Latini ſcriptores memoriae prodiderunt. . . . Quos ego legens, quum cuperem per ſingulas Romani Imperii provincias continenti quadam ratione perſpicere, quibus rebus in earum qualibet inclaruerit Romana virtus; iam me ſaepenumero ab harum rerum ſcriptoribus ex Africa in Hiſpaniam, ex Hiſpania in Siciliam, & hinc rurſus in Macedoniam, aut ad aliam quamdam gentem, ad quam legatio ſuscepta aut cum qua ſocietas inita eſſet, abreptum vidi; tum iterum, velut errabundum, Carthaginem aut in Siciliam reductum; atque inde ſubito, nec dum perfectis ibidem rebus, alio rurſus translatum. Itaque diſperſas hiſtoriae partes, quae ad Siciliam, quae ad Carthaginem reliquasque Africae nationes, quae ad unamquamque denique gentem atque provinciam Romano Imperio ſubiectam pertinerent, in unum collegi; ut, quid in earum quaque geſſerint Romani, & quaenam fuerit illarum gentium ſive infirmitas ſive fortitudo, quaenam rurſus victoris populi ſive virtus ſive fortuna, & quidquid denique aliud maxime memorabile in qualibet provincia incidiſſet, planius cognoſcerem intelligeremque. Nunc autem cogitans, fore etiam alios, c*) *qui ſimili ratione res Romanorum cognoſcere cupiant, eadem hac ratione Romanam Hiſtoriam, per ſingulas gentes atque provincias diſtributam, perſcribere adgredior.*

II. Atque haec quidem ratio res Romanorum pertractandi non nimis forte commoda videri poſſit ad informandam lectoribus continentem atque lucidam univerſae hiſtoriae Romanae notitiam: ſiquidem ea ratione non adeo facile perſpici poſſe videantur incrementorum rei Romanae ſucceſſio atque progreſſus, cauſſaeque e pluribus atque variis plerumque momentis aptae atque connexae, quibus quaeque inſignior, vel domi, vel foris, effecta rerum huius populi ſive in melius ſive in peius converſio eſt; tum vero quoniam, ſtatus reipublicae ac univerſi imperii quinam

b) In *Praefatione* univerſo operi praemiſſa, p. VII ſq.

c) In Graecis, ubi impreſſi libri habent: νομίσας δ' αὐτίκα καὶ ἄλλον οὕτως ἐθελῆσαι μαθεῖν τὰ Ῥωμαίων, pro αὐτίκα, ex *Codice Au-*

quolibet tempore fuerit, eadem illa ratione non satis perspicue intelligi posse videatur; quippe de quo e rebus in una aut altera provincia sigillatim gestis commodum ferri iudicium non possit, nisi rerum omnium memorabilium per singulas imperii partes eodem tempore gestarum descriptio simul unum sub conspectum lectoribus subiiciatur. Neque vero culpandum idcirco, aut etiam spernendum, APPIANI nostri consilium rationemque ullo pacto duxerim. Primum enim negari non potest, annales atque historias eas, in quibus res omnes per quascunque partes tam vasti imperii, quale Romanorum fuit, eodem fere tempore gestae, promiscue atque inter se confusae secundum temporum successionem exponuntur, illud ipsum habere incommodum, quod APPIANUS expertum se esse professus est; ut huius historiae studiosus lector, ubi rei cuiuspiam in una quadam parte imperii Romani gestae atque insignis fortasse rerum conversionis exordium viderit expositum, iamque huius catastrophes momenta suo ordine persequi cupiat, donec ad finem perducta res sit, nunc eius narrationis filum subito, atque iterum quidem iterumque, abruptum videat atque abscissum; ut non modo suspensum sese teneri, sed etiam veluti vagum atque errabundum per universum terrarum orbem hinc inde traductum, denique, ad pristinum locum vix tandem reducem, denuo inde ad alia omnia saepenumero abreptum, haud exiguo suo taedio, sentiat. Quare quum APPIANI aetate satis magna copia Annalium atque Historiarum eiusmodi exstaret, laudandum potius huius scriptoris institutum est, quod altera illa ratione maluerit uti, quae unumquodque rerum genus, (velut Mithridatica bella, velut civiles Romanorum turbas) itemque uniuscuiusque gentis atque provinciae historiam, a primis suis primordiis usque ad finem, perpetuo narrationis filo persequitur: quo tractationis genere, citra omnem controversiam, unumquodque rerum gestarum genus, atque unius-

gustano omnino reponendum est ἂν τινα, quod etiam citra dubium vetus *Interpres* in suo exemplari legerat.

cuiusque provinciae hiſtoria, clariori in luce poni poteſt, atque mirum in modum adiuvatur lector, quo facilius uno obtutu rem omnem animo poſſit complecti.

III. Huc accedit, quod in quinque priorum quidem ab Urbe condita ſeculorum hiſtoria, ubi non nimis dum dilatatae atque amplae fuerunt res Romanorum, ad id de quo nunc quaerimus non fere differat APPIANI inſtitutum a reliquorum eiusdem hiſtoriae Scriptorum ratione; ſequentibus autem ſeculis hiſtoria omnis Romana ſponte quaſi ſua in duas ſummas dirimatur partes, alteram rerum domeſticarum, alteram externarum. Domi civiles turbae, ac fratrum in fratres armatae manus: foris legationes, ſocietates, bella, varia quidem interdum fortuna, ſed ſplendida plerumque, geſta atque confecta; denique mirae finium imperii prolationes ac infinita paene potentiae incrementa, aliis gentibus in fidem tutelamque receptis, aliis plane ſubiugatis atque in deſcriptam aliquam provinciae formam redactis. Atqui quemadmodum commodiſſimum erat, Civiles omnes turbas, a primis inde Gracchorum ſeditionibus, ad illa usque tempora quibus adverſariorum omnium victor Octavianus Caeſar exceſſit, continua quadam narratione perſequi, id quod ab APPIANO noſtro factum videmus; ſic hiſtoriae rerum externarum distributio, per varias gentes atque provincias Romano imperio ſubiectas, iterum ſua quadam ſponte ſeſe offerebat. *d*)

d) Neque vero in hac per provincias diſtributa hiſtoria reſpectum omnem ad univerſam totius imperii Romani hiſtoriam, aut ad ordinem eum, quo ſecundum continuos univerſi imperii annales res quaeque in qualibet provincia vel eodem tempore geſtae eſſent, vel ſeſe invicem excepiſſent, penitus neglexiſſe putandus eſt APPIANUS. Primum enim, quod ad locum adtinet quem in operis ſui editione cuique ſingulari hiſtoriae aſſignavit, hunc ordinem a ſe obſervatum eſſe ipſe declarat, ut quisque liber ita ante alterum collocaretur, ut prius cum ea gente atque in ea provincia, cuius hiſtoriam ille liber complectebatur, bella atque res habere coepiſſent Romani. (Vide *Praefat. Auctoris* pag. IX. a.) Tum vero in ipſo hiſtoriae cuiusque curſu, ſi quid

Digitized by Google

SECTIO TERTIA.

Recenſetur ſeries XXII. Librorum, per quos diſtributae erant APPIANI *Romanae Hiſtoriae.*

Illud igitur ſuum inſtitutum *viginti & aliquot libris* perſecutus eſt APPIANUS, quorum communis *Inſcriptio* haec erat: Ἀππιανοῦ Ῥωμαϊκὴ Ἱστορία, vel Ῥωμαϊκαὶ Ἱστορίαι, aut brevius etiam Ῥωμαϊκά: *a*) quae generalis inſcriptio in fronte cuiusque ſingularis libri ita repeti ſolebat, ut diceretur, verbi cauſſa, Ῥωμαϊκῶν Βασιλικὴ, ſcilicet *βίβλος* vel *συγγραφὴ*, *b*) Ῥωμαϊκῶν Κελτικὴ, Ῥωμαϊκῶν Λιβυκὴ, & ſic deinceps. De numero autem librorum, itemque de

erat ex alio libro repetendum, quod vel prae caeteris memorabile eodem fere tempore geſtum eſſet, vel quod cauſſas aliquas aut neceſſariam quamdam illuſtrationem earum rerum contineret, de quibus nunc agebatur; eius rei mentionem commodo loco iniicere, aut etiam narrationem breviter, quantum opus videbatur, (ὅσον εἰς ἀνάμνησιν, quae formula ei in huiusmodi occaſionibus ſolennis eſt) repetere conſuevit Scriptor noſter.

Sect. III. a) PHOTIUS, loco ad Sect. I. not. *a.* citato, itemque SUIDAS, *voce* Ῥουτίλιος, & ZONARAS, loco quem ſub finem huius Sectionis not. *ff.* adferemus, generalem huius operis inſcriptionem hanc habent, Ῥωμαϊκὴ Ἱστορία; quas voces *Codex Auguſtanus* interdum in plurali numero effert. Sed veriorem & ab ipſo APPIANO profectam inſcriptionem brevem illam eſſe, Ῥωμαϊκὰ, ex eiusdem *Praefatione* pag. VIII. c. d. e. colligi poſſe videtur. Unius autem vel alterius ſingularis libri inſcriptione decepti librarii quidam, totius operis hunc titulum fecerunt, ut illud Βασιλικὸν, vel Ἰταλικὸν Ἱστορίαν inſcripſerint. Prior error in Codice illo obtinuit, ex quo *Excerpta ex Appiano* edidit VALESIUS, (Pariſiis, anno 1634.) ubi vide p. 546. p. 566. & p. 6. num. ιγ'. eumdemque errorem SUIDAS erravit, *voce* Ἀππιανός. Alterum errorem habet *Codex Florentinus*, in BANDINII *Catalogo* T. II. col. 659. ubi vide inſcriptionem totius Codicis, ac rurſus inſcriptionem Prooemii.

b) Sic e. gr. APPIANUS *Syr.* p. 120. d. Ἀλλὰ τάδε μὲν ἐντελῶς ἐν τῇ Παρθικῇ συγγραφῇ λέξω. τῆς δὲ βίβλου τῆσδε οὖσης Συριακῆς, κ. τ. λ.

ordine, quo illi in universi operis serie collocati fuerint, hodie non certo constat; quum neque integra librorum omnium collectio ad aetatem pervenerit nostram, & inter eos auctores, qui libros APPIANI recensent, neque de numero neque de ordine satis conveniat. Duo sunt Auctores, quorum diligentiâ *Catalogus Librorum*, quibus constabat universa APPIANI *Romana historia*, nobis conservatus est: alter PHOTIUS; *Anonymus* alter, cuius monitum de numero atque serie Librorum Appianeorum in manu exaratis Codicibus passim reperitur. Et quoniam in PHOTII Catalogo, qui & ex ipsa eius *Bibliotheca* facile peti potest, & a FABRICIO etiam *Bibliothecae Graecae* insertus est, *c*) occurrunt nonnulla, quae sine dubio erronea sunt, atque ab ipsius APPIANI distributione aliena, †) nos ex illius, quem diximus, *Anonymi* praescripto recensionem hanc instituemus; *d*) interspersis vel subiectis quibusdam, ubi opus

c) FABRICIUS in *Bibl. Graeca* Lib. IV. cap. XII. Tom. III. pag. 393 seq. ex PHOTII *Bibliotheca*, Codice LVII. p. 22. PHOTIUS autem *XXIV* APPIANI *libros*, *Anonymus* noster nonnisi *XXII* numerat.

†) Vide infra, not. *p.* & *t.*

d) Hunc *Anonymi* illius *Catalogum librorum* APPIANI talem exhibeo, qualem in fronte *Codicis Augustani* scriptum reperi. Convenit autem fere, si eam discrepantiam excipias, quam ad librum VIII. notabo, cum eo Elencho, quem ex *Codice Florentino* iam ante hos duodecim annos publici iuris fecit diligentissimus BANDINIUS in *Catalogo Codicum Graecorum Bibliothecae Laurentianae*, Tomo II. col. 659 sq. Neque dubito, esse eumdem, quem in Codice Regio Parisino num. 1681. exhiberi monetur in *Catalogo Codicum msstorum Biblioth. Reg. Paris.* Tom. II. pag. 387. Quemadmodum autem BANDINIUS monuit, illum elenchum non ab eodem librario, qui ipsum Codicem descripserat, sed recentiori manu esse perscriptum; sic & in *Augustano Codice* idem elenchus, (simul cum illa alterius *Anonymi* admonitione, quae in impressis exemplaribus etiam exhibetur, de qua vide *Sect. IV.* not. *t.*) ab recentiori manu in fronte libri adscriptus est. Mirum est autem, quorsum evaserit Codex is, e quo hic Catalogus transscriptus fuit: atque eo magis, quidem in hoc ipsum inquirere operae pretium fuerit, quod ex iis verbis, in

Digitized by Google

fuerit, de uno aut altero libro obſervationibus. Sic igitur ille:

Ἡ τοῦ Ἀππιανοῦ Ῥωμαϊκὴ ἱστορία ἐν λόγοις εὑρηται περικλειομένη κβ'. *APPIANI Romana Hiſtoria viginti duobus libris comprehenſa reperitur:*

(I.) Καὶ ὁ μὲν πρῶτος λόγος περιέχει τῶν ἀπὸ Ῥωμύλου μέχρι Ταρκυνίου βασιλέων ἑπτὰ (τὰς commode addit *Cod. Flor.*) πράξεις· ἐπιγράφεται δὲ Ῥωμαϊκῶν Βασιλικὴ ἱστορία. *Et primus quidem liber continet ſeptem Regum, a Romulo usque ad Tarquinium, res geſtas, inſcribiturque Rerum Romanarum Hiſtoria Regia.*

(II.) Ὁ δὲ β'. Ῥωμαϊκῶν Ἰταλικὴ. *Secundus liber, Hiſtoria Romano-Italica.*

(III.) Ὁ δὲ γ'. Ῥωμαϊκῶν Σαυνιτικὴ· ὃς καὶ π'. ἐτῶν περιέχει πολέμους. *Tertius: Hiſtoria Romano-Samnitica; quo libro & octoginta annorum bellum (Samniticum nimirum ac Tarentinum) continetur.* e),

quae definit idem Catalogus, ſatis tuto colligi poteſt, eum praefixum fuiſſe *Tomo primo* operum APPIANI, qui IX. priores libros, quorum plerique hodie deſiderantur, continebat. Cf. *Sect. IV.* not. x.

e) Horum trium priorum librorum argumenta ipſe Auctor in *Prooemio* pag. VIII. c. d. his verbis declarat: Τριῶν δὲ βίβλων οὐσῶν, αἱ τὰ ἐς τὴν Ἰταλίαν, ὄντα αὐτοῖς πολλὰ, πεπραγμένα συνάγουσι· τὰς μὲν τρεῖς ἡγητέον εἶναι Ῥωμαϊκῶν Ἰταλικάς· διὰ δὲ πλῆθος ἔργων διήρηνται. καὶ δηλοῦσιν, ἡ μὲν πρώτη τὰ τῶν βασιλέων ἑπτὰ γενομένων (ſic ex *Ms. Aug.* legendum pro γενόμενα, quod habent impreſſi libri) ἔργα, ἐφεξῆς ἅπαντα ἐφ' ἑαυτῶν, ὡς ἐγένετο· καὶ αὐτὴν ἐπιγράφω Ῥωμαϊκῶν Βασιλικήν. ἡ δ' ἐξῆς τὰ ἐς τὴν ἄλλην Ἰταλίαν, χωρὶς γε τῆς παρὰ τὸν κόλπον τὸν Ἰόνιον· (ſic recte, pro vitioſo Ἰώνιον, dat idem *Cod. Aug.*) ἐς δὲ σύγκρισιν τῆς προτέρας ἥδε λέγεται ἡ ἑξῆς, Ῥωμαϊκῶν Ἰταλικὴ. τελευταίᾳ δὲ ἔθνει Σαυνίταις, (ſic numquam non *Cod. Aug.* illud nomen ſcribit, quod in impreſſis perperam ſemper Σαυνιτ. pro Σαυνιτ. ſcribitur) οἳ παρὰ τὸν Ἰόνιον ᾤκηνται, μεγάλῳ τε καὶ χαλεπῷ, ὀγδοήκοντα ἔτεσι συνεπλάκησαν, μέχρι καὶ τούσδε, καὶ ὅσα σφίσιν ἐγγὺς ἔθνη συνεμάχει, καὶ Ἕλληνας ὅσοι ὑπὸ τὴν Ἰταλίαν εἰσὶν, ὑπηγάγοντο· καὶ ἔστιν ἥδε, τῶν προτέρων εἰς σύγκρισιν, Ῥωμαϊκῶν Σαυνιτική. *Quum autem tres ſint*

(IV.) Ὁ δὲ δ'. Ῥωμαϊκῶν Κελτική. *Quartus liber: Hiſtoria Romano-Gallica.* Quo libro primum ea, quae in Italia Galli contra Romanos, tum quae Romani in Gallia geſſerunt, expoſita erant. His accedebat earum rerum commemoratio, quae trans Rhenum in Germania, nec non quae in Britannia, a C. Caeſare geſta ſunt. *f*)

(V.) Ὁ δὲ ε'. Ῥωμαϊκῶν Σικελική. *Romano-Sicula hiſtoria.* Hanc citat APPIANUS in libro *Iberico*, p. 256. d. & in *Punico* p. 2. b. & p. 3. c. Idem vero liber PHOTIO Σικελικὴ καὶ Νησιωτικὴ adpellatur; quo ſignificatur, *Siculae* hiſtoriae reliquarum etiam inſigniorum *Inſularum* hiſtoriam, Sardiniae, puta, Corſicae, Cretae, Cypri, quo nimirum iuſta libri menſura compleretur, fuiſſe ſubiectam. *g*)

libri, qui res populi Romani intra Italiam geſtas, quae ſane multae ſunt, complectuntur; univerſos quidem communi inſcriptione ITALICAE HISTORIAE comprehendi potuiſſe, intelligitur: ſed eos tres libros, ob nimiam rerum copiam, diſtinximus. Illorum igitur primus ea quae ſub Regibus geſta ſunt, quos ſeptem habuit Roma, ſuo ordine ſingula ſeparatim exponit; eumque inſcribo, Rerum Romanarum Librum REGIUM ſ. DE REGIBUS. Sequuntur quae (extra Latium) *per reliquam Italiam, excepta ea parte, quae Superum mare adtingit, geſta ſunt: hunc alterum librum, ad prioris diſcrimen, Romanarum Rerum Librum ITALICUM adpello. Poſtremo cum Samnitibus, qui Superum mare adcolunt, magno ac feroci populo, per octoginta annos conflictati ſunt; donec & hos, & quotquot finitimae gentes eos adiuverant, & Graecos quotquot inferiorem incolunt Italiam, imperio ſuo ſubiicerent. Hic mihi liber, ad duorum ſuperiorum differentiam, Romanarum Rerum Liber SAMNITICUS inſcribitur.*

f) Vide *Epitomen* huius libri, quae hodieque in exemplaribus APPIANI exſtat, atque EXCERPTA ab URSINO ac VALESIO edita; quibus adde SUIDAM *voce* Ἀππιανὸς, & ipſum APPIANUM de *Civil. Bellis* Lib. II. pag. 437. a. SUIDAE verba paulo inferius, *Sect. IV.* num. IV. not. *f.* exhibemus.

g) Quare VALESIUS in Adnotatione ad Fragmentum illud de Clodio, quod Excerptis ex *Hiſtoria Sicula* pag. 558. adiectum eſt, monuit, ea occaſione iſto in libro mentionem Clodii factam fuiſſe videri, quod eius viri iniqua rogatione *Cyprus* inſula,

Digitized by Google

(VI.) Ὁ δὲ ϛ'. Ῥωμαϊκῶν Ἰβηρική. *Sextus liber, de rebus Romanorum in Hiſpania geſtis.*

(VII.) Ὁ δὲ ζ'. Ῥωμαϊκῶν Ἀννιβαϊκή. *h*) *De Romanorum bello cum Annibale.*

(VIII.) Ὁ δὲ η'. Ῥωμαϊκῶν Λιβυκὴ καὶ Καρχηδονική. *Hiſtoria Libyca ac Punica*, ſive de rebus Romanorum in Africa, cum Carthaginienſibus praeſertim, geſtis. Quem librum PHOTIUS non ſolum Λιβυκὴν καὶ Καρχηδονικὴν, ſed etiam Νομαδικὴν, id eſt, *Numidicum* adpellat; ſiquidem Punicae hiſtoriae hiſtoria Numidica ſubiecta erat. *i*) Male autem a *Libyco* dirimitur *Punicus* liber in eo Catalogi noſtri exemplari, quod in *Florentino* exſtat Codice. *k*)

(IX.) Ὁ Θ'. Ῥωμαϊκῶν Μακεδονική. *De rebus Macedoni-*

cuius nimirum hiſtoria eodem libro comprehenſa fuiſſe cenſenda eſt, in populi Romani ditionem pervenerit. (Vide *Adnotationes* VALESII pag. 79. Ac confer APPIANUM, de *Bellis Civilibus*, Lib. II. pag. 441. a. Ad cuius loci ſententiam conſtituendam, ex Msti *Auguſtani* & ipſius hiſtoriae praeſcripto, pro Κάτων reponendum Κάτωνα eſt, & maior diſtinctio, quae illam vocem praecedit, cum minori commutanda.) Similiter Fragmentum illud XXXmum *de Creta Inſula*, quod exſtat in *Excerptis* ab URSINO editis p. 371. non ex *Macedonico* libro, ut ſuſpicatus URSINUS erat, (in *Notis* p. 126.) ſed ex eodem hoc libro V. qui *Siculam* atque *Inſularem* hiſtoriam continebat, decerptum eſſe videtur.

h) In *Praefatione* APPIANI pag. IX. a. itemque in *Punica* hiſtoria pag. 2. b. *Codex Auguſt.* legit Ἀννιβιακὴ, quae mollior nominis forma, ac neſcio an verior, videtur; quam eamdem formam ISAACUS CASAUBONUS ad *Polybii* Lib. I. cap. 3. in Codicibus ſuis Polybianis ſeſe reperiſſe teſtatur. [* Vide quae ad Polyb. I. 3, 2. adnotavimus.]

i) Quod patet etiam ex *Excerptis Valeſianis* pag 561. ad quae vide *Adnotationes* VALESII pag. 79. Idem teſtantur Fragmenta duo apud URSINUM num. XXVIII. & XXIX. pag. 370.

k) Ibi ſcilicet ita legitur: ὁ δὲ η' Ῥωμαϊκῶν Λιβυκή. - Καὶ Καρχηδονικὴ ὁ Θ'. - Ῥωμαϊκῶν Μακεδονικὴ δὲ ὁ δέκατος. - ὁ ια' Ῥωμαϊκῶν Ἑλληνικὴ καὶ Ἰωνική. Vide BANDINII *Catal. Biblioth. Laurent.* Tom. II. col. 659.

Digitized by Google

cis. — Hos novem priores libros eodem ordine ipse APPIANUS in *Praefatione* nominavit. *l*)

(X. & XI.) Ὁ ι'. καὶ ια'. Ῥωμαϊκῶν Ἑλληνικὴ καὶ Ἰωνική. *Liber decimus atque undecimus: Historia Romano-Graeca vel Achaïca; atque Ionica, sive Asiatica.* Ἑλληνικὴν γραφὴν citat ipse APPIANUS in historia *Syriaca* p. 87. a. Ἰωνικὴν, hoc nomine, ab APPIANO in libris, qui superstant, non memini commemoratam legere; sed Ἀσιανὴ συγγραφὴ, ad quam provocat *Civil. II.* p. 485. c. videtur esse haec eadem quae ab *Anonymo* nostro Ἰωνικὴ adpellatur. *m*)

(XII.) Ὁ ιβ'. Ῥωμαϊκῶν Συριακή. *Historia Romano-Syriaca:* quo libro etiam universa Principum Macedonicorum historia, qui Syriam ab obitu Alexandri M. usque ad Romanorum tempora tenuerunt, breviter pertractatur.

(XIII.) Ὁ ιγ'. Ῥωμαϊκῶν Παρθική. *Historia Romano-Parthica.* Parthicae suae historiae in reliquis libris plus semel mentionem fecit APPIANUS. Atque hunc quidem locum, inter *Syriacam* atque *Mithridaticam*, *Parthicae* historiae, cum *Anonymo* nostro, non solum PHOTIUS quoque tri-

l) Nimirum post verba illa, quae sunt a nobis supra (not. *e.*) adlata, ita pergit APPIANUS, pag. VIII. extr. & pag. IX. Τὰ δὲ λοιπὰ, τούτων ἑκάστη κατὰ λόγον (in *impr.* male λόγους) ἐπιγράφονται· Ῥωμαϊκῶν Κελτική τε, καὶ Σικελική, καὶ Ἰβηρική, καὶ Ἀντιβιακὴ, καὶ Καρχηδονικὴ [καὶ Μακεδονικὴ] καὶ ἑφεξῆς ὁμοίως. *Reliquas vero* (Romanorum) *res gestas quod adtinet, quilibet liber pari ratione cum istis* (tribus prioribus) *inscribitur; scilicet, Rerum Romanarum Liber Celticus, Siculus . . . & sic deinceps.* Quo loco in impressis libris Καρχηδονιακὴ scribitur, & Μακεδονιακὴ, pro Καρχηδονικὴ & Μακεδονικὴ. In Codice autem *Augustano* desunt verba, καὶ Μακεδονική: ut nomen hoc libri IX. a librario quodam additum putari possit, qui, quum illud deesse videret ad complendum numerum eorum novem librorum, qui primo volumine *Historiae* APPIANI continebantur, illud nomen *Macedonici* Libri adiiciendum hoc loco duxerit.

m) Ἑλληνικὴν & Ἰωνικὴν, pro uno libro, scilicet *decimo*, numerat PHOTIUS; qui quidem in novem priorum librorum recensione ab *Anonymo* nostro non dissenserat.

Digitized by Google

buit; ſed etiam manuſcripti Codices, qui quidem noſtra aetate exſtant, ſcriptionem eam, quam pro *Parthico* APPIANI *libro* venditant, eodem hoc loco proxime ante *Mithridaticum* ponunt. Sed, id quidem invito ſane auctore, & plane contra eius rationem factum eſſe, facile patet, cum ex eo, quod cum Parthis nonniſi devicto Mithridate, atque etiam poſt prima civilia bella, res habere coeperunt Romani; *n*) tum vero ex ſatis etiam diſerto ipſius Auctoris teſtimonio, qui in libris *de Bellis Civilibus Parthicam Hiſtoriam* tamquam deinceps ſecuturam commemorat. *o*) Quo magis etiam PHOTIUS erraſſe cenſendus eſt, quum *Parthicam* hiſtoriam cum *Syriaca* in unum eumdemque librum, quem is *Undecimum* numerat, coniectam ab APPIANO fuiſſe refert. *p*)

(XIV.) Ὁ ιδ'. Ῥωμαϊκῶν Μιθριδάτειος. *Mithridatica Romanorum Hiſtoria.* Hic liber etiam *Pontica Hiſtoria* inſcriptus fuiſſe videtur. Certe quum alter ille *Anonymus*, cuius Admonitio exſtat *de ſelectis APPIANI Libris in duo volumina digeſtis*, *q*) τὰ Ποντικὰ quoque a ſe inter ſelectos Ap-

n) Quare iuxta eam rationem, quam in collocandis libris ſuis ſe ſecuturum profeſſus eſt APPIANUS, (in *Praef.* pag. IX. conf. ſupra Sect. II. not. *d.*) poſt libros *de Civilibus Bellis* reponenda erat *Parthica* Romanorum hiſtoria.

o) Vide *de Bell. Civil.* Lib. II. p. 438. b. ubi pro Παρθιακὰ, quod impreſſi habent, in Codice *Auguſtano* legitur Παρθυαχά: adde *de Bell. Civil.* Lib. V. pag. 709. e. ubi in ſcriptura Παρθυϊκὰ cum impreſſis conſentit idem *Auguſtanus* liber.

p) Cui rei, praeter ea quae iam modo a nobis obſervata ſunt, aliud etiam diſertum APPIANI teſtimonium repugnat, cum in *Syriaco* libro pag. 120. c. d. ita ſcribit: Ἀλλὰ τάδε μὲν (ſcilicet de Parthorum poſt Craſſi cladem irruptione in Syriam atque Aſiam) ἐντελῶς ἐν τῇ Παρθικῇ (ſic etiam h. l. Ms. Aug. legit) συγγραφῇ λέξω. τῆς δὲ βίβλου τῆσδε οὔσης Συριακῆς &c.

Facile autem intelligitur, a librariis interdum varios APPIANI libros alio ordine, quam quem ſecutus erat Auctor, collocari potuiſſe; atque eiusmodi Codicis auctoritate deceptus iſta ſcripſiſſe videtur doctiſſimus Conſtantinopolitanus Praeſul.

q) Conf. ſupra not. *d.*

Digitized by Google

PIANI libros relata esse ait, nullum alium nisi ipsum hunc *Mithridaticum* librum dixisse putandus est; quippe quo bella exponuntur adversus *Ponti* Regem gesta, quibus iisdem bellis *Bithynia, Cappadocia & quaecumque his finitimae ad Pontum Euxinum adcolebant gentes, Romano imperio subiectae sunt.* r)

(XV.) Ὁ ιε'. Ῥωμαϊκῶν Ἰλλυρική. *De rebus Romanorum Illyricis.* Hunc librum plane ignorat PHOTIUS, cuius tamen libri non solum in aliis APPIANI libris s) mentio fit, sed qui etiam ipse sine dubio genuinus & integer ad nostram aetatem pervenit. Sed falso, & contra Auctoris consilium, in hunc locum post *Mithridaticum* librum, & ante histo-

r) Vide ea, quae in libris impressis atque in Manuscriptis exemplaribus hodie *initio Libri Mithridatici* leguntur, pag. 170. -- Quibus quidem verbis, usque ad mediam paginam sequentem, quod in transitu hoc loco monere liceat, non tam *Exordium* illius libri, quam Epilogum contineri (quamquam illud nemini adhuc observatum video) facile sibi persuadebit, quisquis vel ipsum quem dico locum per se paulo adtentius considerarit, vel cum aliorum etiam APPIANI librorum Exordiis atque Epilogis conferre voluerit. Certe solenne est APPIANO, cuiusque singularis libri initium a gentis eius, cuius historia eo libro traditur, origine atque sedibus capere; quod in Libyca, in Hispanica, in Illyrica historia videre licet. Atque, secundum eamdem rationem, omnino ab iis, quae p. 171. *mediâ* leguntur, exordium libri huius *Mithridatici* s. *Pontici* fecisse putandus est idem scriptor. Vix autem rursus ovum ovo similius est, quam ei, quem dico, praepostere in frontem libri reiecto Epilogo est *Punici* libri conclusio p. 85. c. aut Epilogus historiae Romanorum *Syriacae* pag. 119. b. Quare in antiquo aliquo exemplo, e quo hodierni fluxere codices, folium illud quod ultimum erat huius libri, luxatum primo, tum loco suo plane motum, atque temere in fronte eius libri, cuius epilogum illud continebat, reiectum fuisse putandum est.

s) Vide de *Bell. Civil.* Lib. V. *extrem.* Eumdem *Illyricum* librum etiam STEPHANUS BYZANTINUS ob oculos habuerat, quum ad νοϛεμ Δάλμιον scripsit: Ἀππιανὸϛ δὲ τὴν πόλιν Δελμίτιον καλεῖ. Locus APPIANI est *Illyr.* p. 761. col. b. lit. c, in HOESCHELII autem *Graeca* editione pag. 6. mediâ.

riam *de Bellis Civilibus* hic *Illyricus* liber ab *Anonymo* noſtro refertur. Etenim poſt *Mithridaticam* hiſtoriam proxime ab APPIANO collocatos fuiſſe Libros *de Bellis Civilibus*, ipſe auctor diſerte docet. *t*) Atque idem alibi monet, ſe res *Illyricas*, iuſtam ſeparati libri menſuram non complentes, ac non nimis etiam ſibi compertas, finitimae *Macedonicae hiſtoriae* adiunxiſſe. *u*) Neque nos turbare debet

t) *Civil.* Lib. I. pag. 383. b.

u) *Civil.* Lib. V. *extrem.* Quem locum, paulo mihi quidem adhuc obſcuriorem, eo conſilio hic adſcribere liceat, ut a ſagacioribus ingeniis ſive explicationem eius, ſive emendationem, eadem occaſione anquiram. *Editi* libri ita habent: Καί μοι ἔδοξε τὰ Ἰλλυρικὰ, οὔτε ἀκριβῶς γενόμενά μοι γνάριμα, οὔτε συντελοῦντα μῆκος ἰδίας συγγραφῆς, οὔτε χάραν ἔχοντα ἑτέρωθι λεχθῆναι τοῦ χρόνου καθ' ὃν ἐλήφθησαν· ἔδοξε δὲ συνάγοντος αὐτὰ ἐς τέλος προσαναγράψαι, καὶ ὑποθεῖναι αὐτὰ τῇ ὁμόρῳ Μακεδονικῇ. Adeuratus alias interpres GELENIUS poſteriora verba ita exponit: *Viſum eſt mihi eas in id tempus conferre, quo Romanis ſunt ſubditae, & in ſummam redactas Macedonicis finitimis ſubiungere.* Vetus interpres barbare, ut fere ſolet: *Viſum eſt Illyriorum res . . . . . eius temporis, quo geſtae ſunt, in fine prius iungendo ſcribere, easque Macedoniae illis finitimae ſubiicere.* Codex *Auguſtanus*, inde a verbis οὔτε χάραν, ſic legit ac diſtinguit: οὔτε χάραν ἔχοντα ἑτέρωθι λεχθῆναι, τοῦ χρόνου καθ' ὃν ἐλήφθησαν συνάγοντος αὐτὰ ἐς τέλος, προσαναγράψαι, καὶ ὑποθεῖναι αὐτὰ, τῇ ὁμόρῳ Μακεδονικῇ. Ut, omiſſis poſt ἐλήφθησαν verbis ἔδοξε δὲ, illa verba τοῦ χρόνου non pendeant ab ἑτέρωθι, ſed cum ſequentibus usque ad ἐς τέλος tamquam in parentheſi poſita ſint; tum vero ut pro προσαναγράψαι, quod a prima manu ſcriptum erat, ex emendatione exhibeatur προσαναγράψαι, quod verbum, ſicut ſequens ὑποθεῖναι, referatur ad τῇ Μακεδονικῇ. Quoquo modo legatur, illud dicere videtur APPIANUS, »ſibi res *Illyricas* (pro ea ſcilicet ratione, de qua *Sect. II.* diximus, quam in collocandis ſuis libris tenuit,) »non alio loco collocandas viſas eſſe, »quam eo, quem poſtulaſſet temporis ratio, quo *eae res Illy»ricae primum a Romanis fuerint ſuſceptae;* ex quo tempore deinde »omnia quae ad Illyricam pertinerent hiſtoriam, usque ad fi»nem, coniunctim & continuata ſerie cum prioribus fuerint »exponenda. ꝛc. Quamquam autem ἔθνη εἰλημμένα apud ipſum etiam Noſtrum, (v. c. in libro *Mithridat.* pag. 251. b.) deſignet

quod alibi ſignificare videtur Auctor noſter, *Illyricum* hunc librum poſtremum omnium demum eſſe perſcriptum. *w*)

(XVI.) Ὁ ιε'. Ἀραβίος. *Hiſtoria Romano – Arabica.* Hunc librum, quem nusquam ab APPIANO memoratum reperi, PHOTIUS extremum omnium ponit, & *viceſimum quartum* numerat. Ac, ſi modo ſeparatim editus ab APPIANO liber eſt hac inſcriptione inſignitus, rectius in finem reiecerit eum PHOTIUS, quam hunc ei locum ante *Civilem* hiſtoriam adſignavit *Anonymus* noſter; quoniam non niſi Monarchiae tempore, & primum quidem Auguſti iuſſu nutuque, ſed potiſſimum deinde Traiano impe-

gentes vel provincias ſubiectas; tamen in hoc noſtro loco τὰ Ἰλλυρικὰ ἐλήφθησαν nihil aliud dicere videtur, niſi *res Illyricae a Romanis ſusceptae ſunt, Romani cum Illyriis res atque bella habere coeperunt.* In quo tamen illud iterum quodammodo importunum eſt, quod, ſiquidem ex eius temporis ratione collocandus fuerat hic liber, quo primum cum *Illyriis* congreſſi ſunt Romani, regnum adminiſtrante Teuta, Agronis vidua, (quo bello iam pars aliqua Illyrici poteſtati eorum ſubiecta eſt) ante ipſum etiam *Ibericum* librum hic *Illyricus* fuerit reponendus: quippe eo ipſo anno, quo in Hiſpania Amilcari ſucceſſit Asdrubal, antequam pedem cum exercitu in Hiſpaniam poſuiſſent Romani, hoc primum bellum Illyricum, a quo etiam hiſtoriam hanc inchoavit APPIANUS, ſusceptum eſt. Sed nimirum, quia ob nimis exiguam libelli molem hiſtoria haec *Illyrica* alii libro adnectenda erat; commodiſſime ſubiungi illa potuit *Macedonicis* rebus, utpote & in vicinia geſtis, & cum quibus iisdem mox etiam ſub Gentio, Illyriae rege, Perſei ſocio, commixtae res *Illyricae* fuerunt. [* Cf. Adnotationes noſtras ad Appian. pag. 885 ſq.]

w) In fine ſcilicet ipſius libri *Illyrici* ita de rebus ſub Imperatoribus geſtis, quae *viceſimo ſecundo Libro* comprehenſae erant, loquitur APPIANUS, tamquam iam tum, cum *Illyricam* ederet hiſtoriam, perſcriptus ille liber fuiſſet qui res ſub Imperatoribus geſtas complectebatur: ἃ δὴ μετ' Αἴγυπτον αὐτοκράτορες οἵδε ἐκρατύναντο ἢ προσέλαβον, ὡς ἴδια αὐτῶν ἔργα, μετὰ τὰ κοινὰ εἴρηται. At nimirum in *Iberico* etiam libro, (p. 262. b.) qui ex ipſius Auctoris teſtimonio ante *Punicum* collocatus erat, (vide Praef. pag. IX. a) tamen *Punicus* liber ſimili ratione citatur, ἐν τῇ Καρχηδονιχῇ βίβλῳ συγγέγραπται; ſive quod re ipſa liber

Digitized by Google

rante, expeditiones contra Arabes ſuſceptae ſunt. *x*) Sed hiſtoria haec *Romano-Arabica* non videtur integrum ac ſeparatum librum potuiſſe complere, tantummodo pars fuiſſe eius libri, quo res ſub Imperatoribus ab Auguſto usque ad Traianum geſtae continebantur, de quo deinceps num. XXII. dicetur.

(XVII-XXI.) Ἐπὶ δὲ τούτοις εἰσὶν οἱ ἐπιγραφόμενοι Ῥωμαϊκῶν Ἐμφυλίων πέντε. *Hos ſequuntur quinque Libri, qui de Romanorum Bellis Civilibus inſcribuntur.* Hos libros in totius operis compage proxime poſt *Mithridaticam* hiſtoriam fuiſſe ab Auctore collocatos ſupra diximus; *y*) quo eodem loco & PHOTIUS eos poſuit. Sed neſcio, quo caſu, quove conſilio, *novem Civilium Bellorum libros* idem

unus aut alter, qui poſt alium collocandus eſſet, tamen ante eumdem ab auctore perſcriptus fuerit; ſive quod huius generis citationes confecto toto opere demum ſint ab auctore adiectae; ut de libro, qui quidem ordine poſterior erat, non incommode tamen tamquam de libro iam conſcripto mentio fieri potuerit: ſive denique, quod, antequam de edendo opere ſuo cogitavit APPIANUS, & priusquam illud aliorum in uſum ſecundis curis retexeret, atque ultimam ei manum imponeret, iam ſinguli libri, e quibus totum opus conſtabat, in privatum auctoris uſum compoſiti fuerint atque conſcripti; quod & ipſe in *Praefatione* (p. VII. d.) teſtari videtur. Sed, ut dicam quod ſentio, huius quidem loci, de quo nunc quaero, alia videtur ratio eſſe; atque facile mihi perſuaſerim, ſyllabam e Graeco verbo excidiſſe, ut pro εἴρηται legendum fit εἰρήσεται, in futuro tempore; ſicut ibidem proxime aliud futurum ſequitur, ἵνθα καὶ περὶ Μυσῶν ἐρῶ πλέονα. Conf. infra, num. XXII.

x) Quam enim Pompeius in eamdem Nabathaeam vel Petraeam Arabiam, quae a Traiano ſubiugata eſt, iam olim ſuſceperat expeditionem, quam APPIANUS etiam tangit, (*Mithridat.* pag. 244. b. & PLUTARCHUS in *Pompeio* pag. 640. d.) ea non niſi ad terrorem nominis Romani Arabibus incutiendum ſuſcepta erat. Atque ſi de ea in hoc *Arabico Libro* copioſius fuiſſet dicturus APPIANUS, ſine dubio ad illum librum eo loco lectores ſuos ablegaſſet.

y) Vide num. XV.

Digitized by Google

numeret literatiſſimus Scriptor. ζ) Neque enim plures umquam, quam quinque huius argumenti libros ab APPIANO editos eſſe cenſendum eſt. Certe qui hodie, cum in manuſcriptis Codicibus, tum in impreſſis exemplaribus, *quartus* numeratur, eum ab ipſo etiam Auctore (in ipſo libri exordio) *quartum* nominatum videmus. Qui autem *quintus* habetur, is idem eſt ille, qui tam a PHOTIO, quam ab ipſo APPIANO poſtremus ponitur. Nam ſicut ultimum librum *de Bellis Civilibus* eum numerat PHOTIUS, qui & mutuum Auguſti atque Antonii bellum expoſuerit, & qui in ſuccinctam devictae per Auguſtum Aegypti hiſtoriam deſierit; ſic initio *quinti* libri quo illud ipſum Octaviani atque Antonii bellum exponitur, declarat Auctor, eodem libro etiam *de Aegypto* agi; *aa*) eumdem autem eſſe *ultimum* de *Civilibus Bellis* librum, in *Prooemio* (p. IX. b.) itidem diſerte docuerat. Ex his autem iam modo dictis ſimul illud colligitur, *Aegyptiacam hiſtoriam*, ad quam aliis etiam

ζ) Libros APPIANI *de Bellis Civilibus* numquam ipſe vidiſſe videtur PHOTIUS. Cum autem tribus voluminibus comprehenſum fuiſſe totum APPIANI opus cognoviſſet, primoque volumine novem libros contineri vidiſſet, putavit fortaſſe, *Civilium* Bellorum libros, qui aliud volumen eiusdem fere molis complerent, non pauciores eſſe numero poſſe. Neque enim ſuſpicari licet, illum numerum ex aliquo exemplari retuliſſe PHOTIUM, in quo omnis APPIANI de *Civilibus Bellis* hiſtoria re ipſa in IX. libros fuiſſet diſtributa. Nam quum liber ille, qui bellum Octaviani cum Antonio exponit, qui hodie *quintus* idemque *ultimus* numeratur, ex ipſius etiam PHOTII ratione poſtremus fuerit, a que etiam in *quarto* libro numerando ipſe Auctor cum diſtributione vulgo recepta conſentiat; nulla omnino partium fuerat proportio, ſi antecedentes tres libri in ſeptem fuiſſent diſciſſi.

aa) Locus ille initio Libri V. *Civil.* pag. 671. a. paulo corruptior ſic legitur in impreſſis: ὁ δὲ ἔρως ὅδε αὐτοῖς τε ἐκείνοις ἐς ἔσχατον ἐλήξει κακοῦ, καὶ ἐς ὅλην Αἴγυπτον ἐπ' ἐκείνοις. ὅθεν ἂν τι καὶ Αἴγυπτος ἐν τῇδε τῆς βίβλου μέρος. Pro Αἴγυπτος ex Codice *Auguſtano* reponendum eſt Αἰγύπτιον. In eodem Codice praepoſitio ἐς ante ἔσχατον omiſſa eſt, male: ſed

in locis provocat Auctor noſter, ††) non peculiari libro fuiſſe comprehenſam, neque aliam intelligendam eſſe, quam eam, quae *Librum quintum de Civilibus Bellis* claudebat.

(XXII.) Ὁ δὲ ἑφεξῆς κβ'. ἐπιγράφεται Ἑκατονταετία. ὁμοῦ λόγοι κβ'. *Qui ſequitur viceſimus ſecundus Liber, inſcribitur Centum annorum ſpatium*, vel *Centum annorum hiſtoria. Omnes ſimul viginti duo Libri.* Eamdem libri inſcriptionem PHOTIUS refert, qui etiam cum *Anonymo* noſtrò proxime poſt libros *de Civilibus bellis* Ἑκατονταετίαν hancce collocat. *bb*) Et quamquam *novem* libros *de Civilibus* bellis idem numeraverit PHOTIUS; tamen apud eumdem *Secularis* haec *Hiſtoria* ſimiliter *viceſimus ſecundus* liber numeratur; nimirum quoniam is omiſſo *Illyrico*, & in finem operis reiecto *Arabico*, *Achaicum* cum *Ionico*, itemque *Parthicum* cum *Syriaco*, in unum coniunxerat. De argumento autem huius, de quo nunc quaerimus, Libri, quod quidem ex ipſa inſcriptione haud facile intelligitur, nihil plane referunt neque PHOTIUS, neque *Anonymus* noſter. Apud ipſum APPIANUM, in eis libris, qui hodie exſtant, eandem libri inſcriptionem nullibi memini commemoratam. Argumentum autem *ultimi* univerſae hiſtoriae ſuae libri his verbis declaravit Auctor: *cc*) *Poſtremus autem liber* (qui res continet poſt devictam ab Auguſto Aegyptum geſtas) *copias quoque quantas alant Romani, & quos reditus ex quaque provincia capiant, quidve in cuſtodias navales quarumdam provinciarum amplius quam eis ex iisdem provinciis redit, dd*) *im-*

nimirum alterum illud ἐς ante ὅλην Αἴγυπτον omitti debuerat; ac pro ὅλην Αἴγυπτον ſcribendum fuerat ὅλῃ Αἰγύπτῳ. *Hic vero amor & illis ipſis*, ſcilicet Antonio ac Cleopatrae, *& toti praeterea Aegypto perniciem adtulit. Quare etiam Aegyptiaca nonnulla idem hic liber continebit.*

††) Vide *Mithridat.* pag. 251. a. & de *Bellis Civil.* Lib. II. pag. 484. c.

bb) Interponendam autem hoc loco fuiſſe *Parthicam* hiſtoriam, ſupra declaratum eſt, num. XIII.

cc) *Praefat.* pag. IX. c.

dd) Conf. *Praef.* pag. IV. d.

Digitized by Google

pendant, & eiusdem generis alia, declarabit. De eodem libro intelligenda videntur ea, quae ſub finem *Illyrici* libri in hanc ſententiam dicit Auctor: *Quaecumque* (in Illyrico) *ante ſubactam Aegyptum ſub libera Republica geſta ſunt, ea ſeparatim expoſita ſunt. Quas autem* (huius tractus) *gentes poſt illud tempus Caeſares aut in obſequio confirmarunt, aut primum ſubegerunt, de his tamquam propriis ipſorum factis poſt communes res dicetur, ee) ubi etiam de Moeſis plura dicam.* Quare mihi quidem omnia, quae ſub Imperatoribus inde ab Auguſto ad ſuam fere aetatem geſta ſunt, ſimul cum deſcriptione formae, ſtatus, virium atque redituum Imperii Romani, uno eodemque poſtremo Libro complexus eſſe videtur APPIANUS. Nam, quod hoc loco promittit, ſe de Imperatorum factis relaturum eſſe, id fere non niſi poſtremo libro fieri poterat: atque librum eum, qui de rebus ab Imperatoribus geſtis agebat, *viceſimum ſecundum* fuiſſe numeratum, ex ZONARAE etiam *Annalibus* conſtat. *ff*) Ac quum, quae liberâ Republicâ in Illyria & in Moeſia geſta ſunt, ea *ſeparatim*, ἐφ' ἑαυτῶν, (ſcil. ſingulari illa ſcriptione *de rebus Illyricis*) a ſe narrata eſſe dicat APPIANUS; tum vero hoc ipſo ſimul declarare videtur, ſe ea, quae Monarchiae tempore geſta ſunt, alia quadam ratione eſſe tractaturum; nimirum, ut res omnes ſub Imperatoribus per univerſum imperium geſtas uno eodemque libro coniunctas complecteretur.

Ex hoc autem libro a nonnullis librariis dein partes aliquae ſingulares decerptae eſſe videntur, ut eiusdem libri pars aliqua fuiſſe videatur *Arabica* illa hiſtoria, quae in

ee) Vide ſupra not. *w.* ad num. XV.

ff) Nam in Flavii Veſpaſiani Hiſtoria ad hunc *viceſimum ſecundum Appiani librum* provocat ZONARAS *Annal.* Lib. XI. pag. 575. edit. Pariſ. ubi, cum de Ioſephi calliditate dixiſſet, oraculum divinarum Scripturarum ad Veſpaſianum referentis, eique imperium vaticinantis, ita pergit ZONARAS: Τούτου δὴ χρησμοῦ μέμνηται καὶ Ἀππιανὸς ἐν τῷ εἰκοστῷ δευτέρῳ λόγῳ τῆς Ἱστορίας αὐτοῦ Ῥωμαϊκῆς.

quibusdam exemplaribus seorsim excerpta exhibebatur, *gg*) itidem *Dacica* historia, quam PHOTIUS tamquam peculiarem librum, numero *vicesimum tertium*, refert; quam eamdem *Anonymus* ille, cuius monitum *de selectis APPIANI libris* in impressis etiam exemplaribus exstat, his verbis commemorat: τὰ Δακικὰ, οἷς ὁ Τραϊανὸς ἐλαμπρύνατο. Denique & τὰ Ἰουδαϊκὰ, quae idem ille *Anonymus* ex APPIANI operibus a se excerpta fuisse profitetur, eodem *postremo* universae *historiae Romanae libro* comprehensa fuisse videntur.

De Inscriptione autem huius Libri, quam ex *Anonymo* nostro atque PHOTIO retulimus, (quam FABRICIUS *hh*) non male his verbis interpretatur, *de Primis centum annis sub Caesarum imperio exactis*,) dubitari potest, an ipsum APPIANUM habeat auctorem; siquidem historia postremo illo libro comprehensa, a subacta per Octavianum Aegypto usque ad mortem Traiani, aut etiam Adriani, non centum solum, sed ad minimum *quinquaginta ultra centum*, annorum spatium complecti debebat. Nisi forte sic statuere malimus: APPIANUM primo omnem suam historiam non ultra Vespasianorum fere aut Domitiani tempora perductam edidisse, eaque de caussa postremum operis eius librum, qui post devictam ab Augusto Caesare Aegyptum centum incirca annorum complectebatur historiam, Ἑκατονταετίαν inscripsisse; tum vero operi ad finem perducto separatos libellos de *Dacicis*, itemque de *Arabicis* rebus, ab Adriano gestis, adiecisse.

SECTIO QUARTA.

Testimonia de APPIANO, atque ex eius opere Excerpta apud alios scriptores.

Quamquam non nimis frequenter citatam APPIANI *Romanam historiam* ab aliis, vel antiquioribus, vel medii quod

gg) Conf. supra, num. XVI.
hh) FABRICIUS *Bibl. Graec.* Tom. III. pag. 394.

vocamus aevi, ſcriptoribus reperio; minime tamen in obſcuro eamdem omnino latuiſſe, varia quae de hoc Scriptore apud alios auctores *Teſtimonia* occurrunt, aut quae ex operibus eiusdem *Excerpta* ſuperſunt, demonſtrant. Quorum quidem plura iam in ſuperioribus, aliud agentes, commemoravimus; ſed ea nunc coniunctim oculis lectorum ſubiicere non erit ab hoc loco alienum.

I. Primus igitur, quoad quidem adhuc nobis compertum eſt, qui APPIANI mentionem fecerit, STEPHANUS BYZANTINUS eſt, qui exeunte ſeculo Vto poſt C. N. ſcripſiſſe putatur. In cuius auctoris *Lexico Geographico* plura forte ex APPIANO excerpta legeremus, ſi opus illud integrum ad noſtram perveniſſet aetatem. Nunc apud *Epitomatorem Stephani* ter citatum Scriptorem noſtrum, ac breviſſimis id quidem verbis, reperi. *a*)

II. Alter ex Scriptoribus paulo antiquioribus, qui APPIANUM noſtrum laudet, EVAGRIUS eſt, cui *Scholaſtici* cognomen fuit, hiſtoriae Eccleſiaſticae ſexto poſt Chriſtum natum ſeculo ſcriptor; qui brevem exhibens Scriptorum Hiſtoriae Romanae notitiam ſecundum ſeriem temporum, quorum hiſtoriam illi perſcripſerunt: *APPIANUS*, inquit, *res Romanas in certas velut claſſes apta ac dilucida ratione distinxit, & unumquodque hiſtoriarum genus, temporibus licet disiunctum, unum in librum collegit.* *b*)

Sect. IV. *a*) Ad vocem Κάστρα dicit: τὸ ἐθνικὸν Καστακαῖος - - - ὁ Ἀππιανός φησι. Locus APPIANI eſt *Iberic.* pag. 272. c. & e. Tum voce Δάλμιον. - - - Ἀππιανὸς δὲ τὴν πόλιν Δελμίνιον καλεῖ. (*Illyr.* pag. 761. col. b. lit. c. & edit. Hoeſchelii p. 6. *med.*) Denique ad vocem Ἀσταπαῖοι numerum etiam libri adponit: Ἀσταπαῖοι, Λιβύης ἔθνος, Ἀππιανὸς ἕκτῳ. Eſt *Ibericus* liber, (quem etiam Sect. praeced. *ſextum* numeravimus) p. 273. Sed per incogitantiam Aſtapaeos iſtos in Libya poſuit Geographus, vel eius Epitomator, quos Carthaginienſium quidem ditioni ſubiectos, ſed Hiſpaniam incolentes, fecerat APPIANUS.

b) Integrum EVAGRII locum adponere, non erit a noſtro inſtituto alienum. Is igitur *Hiſtor. Eccleſ.* Lib. V. cap. ult. (*Scriptorum Hiſtor. Eccleſ.* edit. Reading. Tom. III. pag. 450.) ita ſcripſit:

Digitized by Google

III. Sequitur nono ſeculo, quem paſſim iam allegavimus, PHOTIUS, qui in inſtructiſſima ſua illa *Bibliotheca*, Codice LVII. poſtquam Catalogum librorum, quibus continebatur univerſum APPIANI opus, recenſuit, brevem primi libri Epitomen exhibet, tum vero de ipſo Auctore eiusque opere tale iudicium adnectit: c) *In dictione ſimplex eſt* (APPIANUS) *atque preſſus, & ab omni faſtu affe-*

Αἱ δὲ κατὰ Ῥωμαίους πράξεις, πᾶσαν κοσμικὴν ἱστορίαν ἐν αὑτοῖς περιλαμβάνουσαι, ἢ εἴ τι καὶ ἄλλο γέγονεν, εἴτ' ἐς ἑαυτοὺς διαιρουμένων, εἴτε καὶ καθ' ἑτέρων πραττόντων, πεπόνηται ΔΙΟΝΥΣΙΩι μὲν τῷ ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΙ, ἀπὸ τῶν λεγομένων Ἀβοριγίνων τὴν ἱστορίαν ἐλκύσαντι μέχρι τοῦ Ἡπειράτου Πύῤῥου. ἐξ ἐκείνου δὲ ΠΟΛΥΒΙΩι τῷ Μεγαλοπολίτῃ, καταγαγόντι ἕως τῆς Καρχηδόνος ἀλώσεως. Ἅπερ ΑΠΠΑΝΟΣ (ſic h. l. ſimplici litera Π ſcriptum nomen legitur, conf. *Sect. I.* not. *b.*) εὐχρινῶς διέτεμεν, ἑκάστην πρᾶξιν ἐς ἣν ἀγείρας, εἰ καὶ κατὰ διαφόρους γέγονε χρόνους. Καὶ τὰ μετ' ἐκείνους ὡσαύτως εἰργασμένα ΔΙΟΔΩΡΩι τε τῷ ΣΙΚΕΛΙΩΤΗι, πεποίηται, (lege πεπόνηται, ut ſupra, *elaborata, perſcripta* ſunt) τὰ μέχρις Ἰουλίου Καίσαρος, καὶ ΔΙΩΝΙ τῷ ΚΑΣΣΙΩι, γράψαντι μέχρις Ἀντωνίου τοῦ ἐξ Ἐμίσης. (Id eſt, usque ad Heliogabalum.) Ἐχθεμένου δὲ τὰ τοιαῦτα καὶ ΗΡΩΔΙΑΝΟΥ, τὰ μέχρι τῆς Μαξίμου τελευτῆς ὑπλοῦται. κ. τ. λ. Ex quo adparet, falli FABRICIUM, cum *Punicum* APPIANI librum ab EVAGRIO, *Hiſt. Eccleſ.* Lib. V. cap. ult. laudari monet; (*Bibl. Graec.* Tom. III. p. 394.) quippe de quo APPIANI Libro ne ulla quidem mentio hoc loco iniicitur. Sed illud ex eodem loco coniicere licet, quod de aliis itidem nonnullis Scriptoribus mox videbimus, non niſi novem priores APPIANI libros EVAGRIO fuiſſe cognitos; ſiquidem, a *Diodoro Siculo*, ait, hiſtoriam Romanam *ultra ea tempora*, quae *Dionyſius*, quae *Polybius* atque etiam APPIANUS perſecuti ſunt, *usque ad Iulium Caeſarem* fuiſſe deductam; cum ſatis quidem conſtet, res Romanas non ſolum usque ad eumdem Caeſarem, ſed etiam ultra, ab APPIANO fuiſſe pertractatas.

c) PHOTIUS *Biblioth.* pag. 24. edit. Dav. Hoeſchelii: ἔστι δὲ τὴν φράσιν ἀπέριττος καὶ ἰσχνός· τὴν δὲ ἱστορίαν, ὡς εἶόντ' ἐστὶ, φιλαλήθης· καὶ στρατηγικῶν διὰ τῆς ἱστορίας μεθόδων, εἴ τις ἄλλος, ὑποφήτης. ἐπᾶραι δὲ λόγοις τεταπεινωμένον φρόνημα στρατοῦ, καὶ διαπραῦναι φλεγμαῖνον καὶ πάθος δουλῶσαι, καὶ εἴτι ἄλλο λόγοις ἐκμιμήσασθαι, ἄριστος.

Digitized by Google

ſtationeque alienus, d) in ipſa rerum hiſtoria, quantum fieri poterat, e) veritatis ſtudioſiſſimus; in explicandis bellicis artibus, de quibus in hiſtoriae curſu dicendum erat, ſi quis alius, adcuratus; fractos militum animos oratione erigendi, ardentioresque mitigandi, adfectus denique omnes, & quidquid aliud oratione imitari effingereque licet, exprimendi, inprimis peritus: Quas quidem cum ſtili, tum vero & fidei hiſtoricae, caeterasque laudes veriſſime eſſe Scriptori noſtro a Photio tributas, (quidquid contra dicant multi, qui ſive vix a limine ſalutaſſe APPIANI ſcripta videntur, ſive qui vel apertiſſima librariorum ſphalmata, aut Editorum negligentias, ipſi Auctori vitio vertere non erubuerunt;) nemo facile negaverit, qui ſine praeiudicata opinione, ſine ira, ut recte praecipi ſolet, ac ſtudio, denique qui cum aliquo iudicio, atque uſu quodam discernendi quid ab ipſo Auctore profectum ſit, quid librariorum debeatur vel ſocordiae vel temeritati, ad legendum APPIANUM acceſſerit.

IV. Errore non carent quae apud SUIDAM, voce 'ΑΠΠΙΑΝΟΣ leguntur; *f*) neque tamen ea ita ieiuna aut tur-

d) Ea videtur vis eſſe verborum, *τὴν φράσιν ἀπέριττος καὶ ἰσχνός.* HESYCHIUS: *περιττοί· περίεργοι.* & viciſſim: *περίεργον· περιττὸν ἢ στρεβλόν. Idem*, ſimiliterque SUIDAS: *Ἰσχνομυθοῦντες· λεπτολογοῦντες, ἀκριβολογοῦντες.*

e) Verba illa, *ὡς οἷόν τ' ἐστὶ, quoad fieri poteſt*, eo videntur valere, ut, quum non niſi priores APPIANI libros legiſſet PHOTIUS, (cf. Sect. praec. not. ζ.) in antiquiore parte hiſtoriae Romanae, in traditionum Annaliumque repugnanti ſaepenumero, aut omnino fabuloſa, incompleta, turbata denique ratione, fieri plane non poſſe dicat, ut illius Hiſtoriae ſcriptor indubitatam per omnia atque illibatam veritatem tradiderit.

f) *Ἀππιανός· ὄνομα κύριον. οὗτος ὁ Ἀππιανὸς ἔγραψε Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν, τὴν καλουμένην Βασιλικήν. καὶ αἱ μὲν τρεῖς βίβλοι Ἀππιανοῦ αἱ πρῶται περιλαμβάνουσιν ὅσα Ῥωμαίοις ἀγωνιζομένοις ἐς Ἰταλιώτας ἔτι περὶ ἀρχῆς καὶ ἡγεμονίας ἐπράχθη. ὅσα δ' ἀμφὶ τὴν Ἰταλίαν ἄλλα Κελτοί τε καὶ Λίβυες ἔδρασάν τέ καὶ ἔπαθον, καὶ εἴ τί που καὶ τῆς Ἰταλίας μέρος ἀνάγκαις, ἢ ἐνέδραις, ἢ πλάναις ἐς αὐτοὺς μετέθετο, ἐν τοῖς περὶ Κελτῶν καὶ Λιβύων. συγγέγραπται δ' ἐφ' ἑαυτῶν ὅσα καὶ ἐς τὰς ἐμφυλίους Ῥωμαίων στάσεις ἡ Ἰταλία*

bata sunt, sicut prima specie esse videntur. Eorum autem haec maxime est sententia: *APPIANUS, nomen proprium. APPIANUS hic Romanam conscripsit historiam, quae Regia g) vocatur. Ac tres quidem primi APPIANI libri continent quaecumque Romani, Italicis nationibus bella facientes ac de imperio adhuc & principatu contendentes, gesserunt. Reliqua vero bella in Italia gesta, cum Gallis, puta, & Afris; horumque sive victorias, sive clades, & si qua forte Italiae pars vel necessitate coacta, vel insidiis circumventa, vel inconstantiâ ducta, his sese adiunxit; ea in Celtica atque in Poenorum historia h) exponuntur. Quaecumque vero in eadem Italia, cum civilibus Romanorum bellis ea discinderetur, gesta sunt, eorum itidem separatim descripta historia est. i) Quarto autem libro*

διηρεῖτο. ἔτι τοὺς πρὸς Κελτοὺς, τουτέστι Γερμανοὺς, οἳ ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμόν εἰσιν, καὶ τοὺς Γαλάτας, τουτέστι Γάλλους, πολέμους, καὶ τὰς αἰτίας αὐτῶν, ὅσαι τε συνθῆκαι, καὶ συνθηκῶν παραβάσεις, ἃ ἐπαναστάσεις ἐγένοντο Κελτῶν, ἕως ἐπὶ τοῦ Γαΐου, ἡ τετάρτη βίβλος περιέχει συλλαβοῦσα. εἰ δέ τί που Κελτοὶ μὴ κατὰ πρόφασιν οἰκείαν, ἀλλὰ συμμαχοῦντες Ἰταλῶν τισιν ἢ μισθοφοροῦντες, ἔπραξαν, ἐν τοῖς περὶ ἐκείνων συγγέγραπται, καὶ ὅσον εἰς γνώρισμα μόνον αὐτῶν μέμνηται Ἀππιανός. ἔγραψε δὲ Ῥωμαϊκοὺς λόγους ἑπτά. οἱ δὲ διὰ τοῦ ένὸς πι γράφουσιν Ἀππιανός.

g) De hoc errore, quo *Libri primi* inscriptio universo tribuitur APPIANI operi, aut novem saltem prioribus libris, qui nimirum primo volumine operum APPIANI continebantur, vide *Sect. III.* not. *a.*

h) *Annibalica* intelligenda historia, qui est ex iis libris, quos περὶ Λιβύων scripsit APPIANUS.

i) Huius loci sententiam pessime pervertit KÜSTERUS, cuius latinam SUIDAE versionem non uno hoc loco peiorem quam AEMILII PORTI, quam ille alibi feliciter emendavit, inveni. Ad verba illa: συγγέγραπται δ' ἐφ' ἑαυτῶν - - - ἡ Ἰταλία διηρεῖτο: *Locum hunc*, inquit KÜSTERUS, *nec integrum, nec emendatum satis puto, quem proinde sic legendum existimem:* Συγγέγραπται δ' ἐπ' αὐτοῖς ὅσα [συνέβη, ὅταν] ταῖς ἐμφυλίαις Ῥωμαίων στάσεσιν ἡ Ἰταλία διηρεῖτο. Ubi primum pessimo consilio illud ἐφ' ἑαυτῶν, quod notat *seorsim, separatim*, in ἐπ' αὐτοῖς, quod sonat, *post illa*, mutandum censuit sagacior aliâs Commentator. Satis enim perspicue hoc dicit SUIDAS: » Sicut ea quae *Galli*, quae *Afri*, in *Italia*

(qui nimirum *Celticus* eſt, & Gallorum bella in Italia geſta exponit,) *etiam ea bella, quae cum Celtis Rheni accolis, id eſt Germanis,* k) *& cum Galatis, id eſt Gallis* (proprie dictis) *geſta ſunt, cauſſaque eorum bellorum, foederaque ſancita, aut violata, defectiones denique, usque ad Caium Caeſarem, enarrantur. Si quid autem Galli non ſuo nomine, ſed vel tamquam ſocii populorum quorumdam Italicorum, vel mercede conducti, adverſus Romanos geſſerunt; illud in horum eorumdem populorum hiſtoria expoſitum legitur; ita ut ibi Gal-*

» geſſere, non tribus illis libris, quibus priorum ſeculorum » *Italica hiſtoria* continebatur, ſed ſeparatis libris, deſcripta » erant; ſic ne ea quidem, quae *Civilibus* Romanorum *Bellis* » in eadem *Italia* geſta ſunt, *Italicis* illis *libris* continentur; ſed » ſimili ratione etiam haec *ſeorſim*, ſcilicet ſeparatis libris *de* » *Bellis Civilibus*, expoſita ſunt.» Quod autem ad reliquam KÜSTERI emendationem adtinet, quam Graecis verbis adferre tentavit, eâ non admodum opus eſſe, equidem exiſtimaverim. Nam ſatis bene Graece, ac non ſine elegantia quadam, ὅσα καὶ ἐς τὰς ἐμφυλίους Ῥωμαίων στάσεις ἡ Ἰταλία διηρεῖτο, dici videtur, pro ὅσα - - - ἡ Ἰταλία διηρημένη ἐώρασέ τε καὶ ἔπαθε, quae poſtrema verba ex proxime praecedentibus facile hoc loco intelliguntur. Ac neſcio an cum hac locutione conferri quodammodo poſſit illa, qua in eodem argumento uſus eſt APPIANUS, ubi in *Praefatione*, pag. IX. ſcribit: Ὅσα δ' αὐτοὶ Ῥωμαῖοι πρὸς ἀλλήλους ἐστασίασαν. Quod ſi vel maxime urgeatur, neque ſatis ſanum neque integrum eſſe iſtum *Suidae* locum; videndum erit, an aliâ potius, quam quae eſt a KÜSTERO tentata, medicinâ ille egeat, atque ex ipſo hoc, quem modo dixi, APPIANI loco (Ὅσα δ' αὐτοὶ Ῥωμαῖοι πρὸς ἀλλήλους ἐστασιάσάν τε καὶ ἐπολέμησαν ἐμφύλια, - - - ἐς τοὺς στατηγοὺς τῶν στάσεων διήρηται) ductus ille locus depravatusque putandus ſit. Sed ſicut ego nihil hic temere mutandum puto, ſic vix mihi dubio carere videtur, alia parte mancum eſſe hunc eumdem, de quo quaerimus, SUIDAE locum; ſcilicet ut ante συγγέγραπται δ', exciderit verbum, quod praecedentem periodum claudebat. Neque ullus dubito, quin bis ab Auctore poſitum fuerit verbum συγγέγραπται; hoc modo: - - - ἐν τοῖς περὶ Κιλτῶν καὶ Λιβύων συγγέγραπται. συγγέγραπται δ' ἐφ' ἑαυτῶν κ. τ. λ.

k) Hoc loco per errorem transpoſita videri poſſunt graeca SUIDAE

lorum non, niſi quatenus ad eius rei notitiam opus eſt, mentionem faciat APPIANUS. *Scripſit autem Rerum Romanarum libros novem. l*) *Nonnulli* APIANUS, *per ſimplex tantum P, ſcribunt.*

Apud eumdem SUIDAM alia praeterea exſtant Teſtimonia, eaque & copioſa ſatis & luculenta, e quibus adparet, ſtudioſe eius aetate perlectam fuiſſe APPIANI *Romanam Hiſtoriam.* Scilicet amplius ſeptuaginta ex hoc APPIANI opere decerpta *Fragmenta*, commodis locis, eidem SUIDAE *Lexico* inſerta leguntur. *m*) Ac eorum haud pauca quidem ἀδέσποτα ibi ſunt, nonnulla etiam alieni auctoris nomen adſcriptum habent; ſed eorum pleraque LUD. KÜSTERI diligentiâ APPIANO auctori adſerta ſunt, qui & librum atque ſedem, ubi eorum quodque in ipſo Auctoverba, ut legendum putes: πρὸς Κελτοὺς, οἳ ἀμφὶ τὸν Ῥῆνον ποταμόν εἰσιν, τουτέστι Γερμανούς. Nihil tamen mutarim. Conf. eumdem Suidam *Art.* Κελτοὶ, & Dionem Caſſium, Lib. XXXIX. 49. & LIII. 12.

l) Non niſi *novem* priores APPIANI libros inſpectos atque perlectos fuiſſe SUIDAE, ex *Excerptis* eius, de quibus iam iamque dicetur, colligitur; atque illos ipſos *novem* priores *libros* hoc loco dici, dubium eſſe vix poteſt. Putem tamen, ab alia manu hanc laciniam auctori eſſe adſutam. Cum enim novem libros ipſe SUIDAS perlegerit, atque praeterea hiſtoriae *Civilium Bellorum*, ab eodem Auctore conſcriptae, iam modo mentionem fecerit; vix intelligi poteſt, quo pacto iam dicere potuerit, non niſi *novem* hiſtoriae Romanae libros ab APPIANO editos eſſe: niſi forte illam *Civilium Bellorum* hiſtoriam pro peculiari plane opere, non ſolum ſeparatis libris perſcripto, ſed & ſeorſim a reliqua hiſtoria Romana edito, habuerit SUIDAS; in quo tamen diſertum Appiani teſtimonium, in *Praefatione* totius operis exhibitum, ſibi adverſum habebat. Confer vero quae infra not. *q.* dicta ſunt.

m) Eorum *Fragmentorum* Catalogum, qui quidem, ſi quis ex profeſſo eam rem agat, variis adhuc acceſſionibus poterit augeri, exhibet LUD. KÜSTERUS ad SUIDAM ab ipſo editum, *Tomo III. Indice II.* qui eſt: *Auctorum a* SUIDA *laudatorum*; & *Indice III.* qui eſt: *Locorum inveſtigatorum, quae absque nomine auctoris in* SUIDAE *Lexico citantur.*

Digitized by Google

ris opere legitur, indicavit; pars etiam vindicem adhuc ſuum requirit. *n*) Longe vero plurima pars illorum fragmentorum Auctoris quidem nomen, non autem librum, unde unumquodque decerptum eſt, adſcriptum habent: quorum fragmentorum ſedes in APPIANI hiſtoria, ſi modo ſunt e libris ad noſtram aetatem conſervatis deſumta, ad eorum pleraque idem adnotavit diligentiſſimus SUIDAE *Editor;* ita tamen, ut nec in his aliorum induſtriae nihil ſupplendum reliquerit. *o*) Quae vero in libris, quos hodie in manibus habemus, non inveniuntur, ea quosnam ſint ad libros referenda, in bene multis haud obſcure in-

n) Sic de Fragmento illo, quod ad *vocem* Δημοκοπία ſine auctoris nomine adfertur: Ὑπάτους αἱροῦνται, ἐκ δόξης πολεμικῆς, Λεύκιον· ἐκ δὲ δημοκοπίας, Τερέντιον· quod idem Fragmentum ad *voc.* Δοξοκοπία, in fine eius articuli, repetitum eſt; de eo igitur nihil adnotavit KÜSTERUS: eſt autem locus ex *Annibalica* APPIANI *Hiſtoria*, pag. 323. c. decerptus. Ad *vocem* Λιθάζω adlatum Fragmentum, ARRIANI nomen praefert, neque quidquam ibi adnotatum a KÜSTERO video; eſſe tamen idem non ex *Arriano* ſed ex *APPIANO* decerptum, alio loco, ad *voc.* Ἔς τι, ipſe Lexicographus monuerat. Atque curatius in haec inquirenti patebit fortaſſe, alia nonnulla apud SUIDAM fragmenta, quae *Arriani* aut etiam *Aeliani* nomen hodie adſcriptum habent, *APPIANO* noſtro eſſe vindicanda; quemadmodum & illud, quod *voc.* Ὥσατο AELIANO in prioribus SUIDAE editionibus tribuebatur, noſtro Scriptori ex *Manuſcriptis Pariſ.* iam vindicavit KÜSTERUS.

o) Sic quod *voce* Δοξοκοπία prius adfertur fragmentum: (ὁ δὲ Φλαμίνιος τὴν ἀρχὴν ἀπὸ δοξοκοπίας ἠρημένος, ὑπεῖγετο Ἀννίβᾳ συμπλακῆναι.) APPIANI nomen praefixum habet; ſed locus, ubi illud in Scriptoris noſtri hiſtoria legitur, praeteriit KÜSTERUM. Eſt autem ex *Annibal.* p. 319. a. decerptum; qui quidem APPIANI locus, quem ex ſuo exemplari corruptum edididit HENRICUS STEPHANUS ex eodem hoc fragmento a SUIDA conſervato (quamquam nec apud ipſum SUIDAM mendo caret, cum ibi ante τὴν ἀρχὴν praepoſitio ἐς exciderit) corrigi poterat atque debebat. Non ſolum enim accuſativus ἀρχὴν, ad ſenſum neceſſarius, e SUIDA in contextum APPIANI recipiendus erat, quod STEPHANUS in *Adnotationibus* iam monuit; ſed etiam pro δοξοκομπίας, quod

Digitized by Google

telligitur. *p*) Quorumcumque autem ex hisce SUIDAE *Lexico* insertis fragmentis certae, quas apud primum Auctorem suum occuparant, sedes adhuc inventae sunt, ea cuncta ex novem priorum APPIANI librorum aliquo desumta sunt: ex quo satis probabili ratione colligitur, reliqua etiam, quae quidem pauca sunt, ex horum eorumdem numero librorum esse depromta.

V. Inter *Testimonia* de APPIANO utique etiam numerari merentur *Excerpta* illa, vel *Collectanea*, quae decimo post C. N. seculo, Imperatoris CONSTANTINI PORPHYROGENNETI iussu, sicut ex aliis praeclarissimis Romanae Historiae scriptoribus, ex *Polybio*, ex *Nicolao Damasceno*, ex *Dionysio Halicarnassensi*, *Dione Cassio*, aliisque, sic et-

& caeteroquin subleſtae fidei nomen eſt, & nullibi aliàs apud Scriptorem noſtrum occurrit, omnino δοξοκοπίας (quo probato vocabulo etiam alibi uti ſolet Auctor noſter) ex eodem SUIDA in APPIANI exemplaribus erat reponendum. Aliud Fragmentum APPIANI quod *voc.* Σύφαξ apud SUIDAM legitur, cuius ſedem itidem non adnotavit KÜSTERUS, eſt ex *Libyca Hiſtoria* p. 9. d. e. Quod *voc.* Συνήδομαι citatur, id ex *Macedonico* APPIANI libro eſt, atque exſtat in copioſioribus illis ex Appiani Hiſtoria *Excerptis*, a FULVIO URSINO editis, num. XXVII. pag. 369.

p) Sic, ut hoc utar, Fragmentum illud, quod *voce* Λιθάζω falſo ARRIANO tribui ſupra notavimus, (not. *n.*) eſſe ex APPIANI *Libro I. de Regibus*, & agere de hiſtoria illa, quam LIVIUS Lib. I. cap. XI. refert, facile patet. Iſtud, *voc.* Βλασφημῶ· Οἱ δὲ ἐβλασφήμουν αὐτὸν, ὡς κακῶς ἐπὶ τρισὶν ἀνδράσι τὰ πάντα θέμενον; vix dubitari poteſt, quin ex eodem *Regio Libro* depromtum, & ad Horatiorum cum Curiatiis tergeminum certamen ſit referendum: de quo LIVIUS I. 25. *Confederant utrimque*, inquit, *pro caſtris duo exercitus, periculi magis praeſentis, quam curae, expertes: quippe imperium agebatur in tam paucorum virtute ac fortuna poſitum &c.* Quae *voc.* Πίμπρατται, itemque *voc.* Ἀλλαξάμενος de Marcio (Coriolano) ad Volſcos transeunte inſeruntur, ex *ſecundo* APPIANI libro ſ. *Italico* eſſe, perſpicuum eſt. Fragmentum ad *voc.* Λιφαιμεῖ (de cuius argumento vide LIVIUM VII. 26.) ex *Celtico* eſſe libro, per ſe patet; eodemque pertinere illud, quod eſt de Britannis *voc.* Παρορχῆσαι, ex iis intelligitur, quae de *Celtico* libro Sect. III. num. IV. dicta ſunt. - -

iam ex APPIANI noſtri *Romana Hiſtoria* congeſta ſunt. †) Quorum *Excerptorum* ea, quae Περὶ Πρεσβειῶν, *de Legationibus*, ex ipſius argumenti ratione, in quo verſantur, inſcripta ſunt, & a IOHANNE quodam *Conſtantinopolitano* collecta, cum *Polybii* aliorumque fragmentis publici iuris fecit atque Notis illuſtravit FULVIUS URSINUS, *Antwerpiae*, MDLXXXII. Quae ſub titulo *de Virtutibus ac Vitiis* in ampla illa literatiſſimi Imperatoris collectione continebantur, ea ex Codice *Peireſciano*, cum *Polybii* aliorumque Excerptis, graece edidit, latine vertit, Notisque illuſtravit HENR. VALESIUS, *Pariſiis* MDCXXXIV. Utroque autem horum locorum, quemadmodum & apud SUIDAM, non niſi ex *novem prioribus APPIANI libris*, quos nimirum ſolos inſtructiſſima Imperatoris Bibliotheca poſſidebat, *Excerpta* exhibentur: & in his quidem illud commodius, quam apud SUIDAM, factum eſt, quod in margine utriusque codicis, e quibus haec edita Excerpta ſunt, tituli librorum ubique adſcripti fuerint, unde illa deſumta erant. Atque haec quidem *Conſtantini Porphyrogenneti Excerpta*, ex temporum ratione fortaſſe ante illa ſive teſtimonia ſive fragmenta nominanda fuerant, quae apud SUIDAM legi paulo ante monuimus: ſiquidem non ſolum ipſius illius Imperatoris aetate, aut etiam poſtea, vixiſſe vulgo ab eruditis creditur SUIDAS, ſed etiam APPIANI illa fragmenta, lexico ſuo inſerta, ex ipſis his Conſtantini Collectaneis deſcripſiſſe a nonnullis perhibetur. *q*)

Sed iam mitto reliqua; ad idem argumentum alio forte tempore rediturus.

†) De totius illius Collectionis ratione vide Ὑπόθεσιν τοῦ περὶ Ἀρετῆς καὶ Κακίας βιβλίου πρώτου, apud VALESIUM pag. 2. & 5. Conf. FABRICIUM in *Biblioth. Graec.* Lib. V. cap. v. Tom. VI. pag. 490 ſqq. & p. 230.

q) Sic certe VALESIUS, in Praefatione, editioni ſuae Excerptorum *de Virtutibus ac Vitiis* praemiſſa, non dubitavit pronunciare, ex *Conſtantini Excerptis* SUIDAM fragmenta *Polybii*, *APPIANI*, aliorumque in Lexicon ſuum conieciſſe. Itidemque KÜSTERUS, in *Notis ad SUIDAM*, nonnumquam, ubi fragmentum aliquod AP-

Digitized by Google

VI. ZONARAE de Scriptore noſtro teſtimonium, quo quidem non niſi in transcurſu *Liber viceſimus ſecundus Hi-*

PIANI a SUIDA prolatum, in *Excerptis* illis *Conſtantini* legi monet, (verbi cauſſa, ad *vocem* Ἐπιχούρης, ad *vocem* Μάρκος Μάλλιος) ſimul expreſſis verbis addit: *ex iisdem Excerptis eum locum a Suida eſſe deſcriptum.* Cui quidem ſententiae illud non poteſt opponi, quod pleraque fragmenta a SUIDA adlata in illis Collectaneis hodie fruſtra quaerantur. Notum eſt enim, ex *quinquaginta tribus Titulis*, vel *Locis communibus*, per quos univerſa illa Conſtantini Collectanea diſtributa erant, nonniſi *duos* illos *Titulos*, quorum alter ab *Urſino*, alter a *Valeſio* eſt editus, ad hunc diem eſſe repertos. At vero SUIDAM quod adtinet, in Praefatione ad eius *Lexicon* oſtendit KÜSTERUS, lubrico quodammodo fundamento niti illam rationem, ex qua vel Conſtantini Porphyrogenneti aetate, vel poſt eam, vixiſſe creditur SUIDAS. Tum vero qui tot Graecos Auctores, cum poëticos, tum proſaicos, ſtudioſe perlegit excerpſitque Grammaticus & Lexicographus, neſcio, cur in nobiliſſimis Romanae hiſtoriae ſcriptoribus *Collectaneorum* quorumdam rivum potius, quam ipſos fontes, ſecutus eſſe, niſi id firmis rationibus demonſtratum fuerit, putandus ſit. Quamquam, ſi modo quae SUIDAS *voce* Ἀππιανὸς habet, omnia ab eius manu ſunt, in quibus non ſolum erronea quaedam, ſed etiam pugnantia inter ſe, poſita eſſe ſupra (not. *l.* ad h. Sect.) monuimus, minime equidem diffiteor, facilius id quo pacto evenerit intelligi poſſe, ſi *APPIANI Rom. Hiſtoriam* nonniſi ex *Excerptis* his cognitam Lexicographo noſtro fuiſſe ſtatuamus. Denique curatius mihi hanc totam quaeſtionem conſideranti, duo illa SUIDAE peccata, quod cum univerſam APPIANI *Hiſtoriam* Βασιλικὴν adpellatam fuiſſe ſcribit, tum vero nonniſi *nowem* Romanae huius Hiſtoriae *libros* numerat, videntur revera eius hominis eſſe, qui nec *Praefationem* APPIANI, univerſo eiusdem operi praefixam, umquam viderit, & qui totam huius Scriptoris hiſtoriam nonniſi ex his ipſis CONSTATINI *Excerptis* cognitam habuerit. Cf. ſupra *Sect. III.* not. *a.* Sed ubi nobis vacaverit curatius aliquod *Fragmentorum* omnium APPIANI, quae apud SUIDAM reperiuntur, examen inſtituere; tum demum fortaſſe certius quiddam de hac quaeſtione pronunciare nobis licebit. Interim, ſi fragmentum illud de Traiano, quod *voc.* Ναῦς ARRIANO tribuitur apud SUIDAM, APPIANO potius noſtro vindicandum ſit; (quod non ſine quadam veri ſpecie contendit ipſe KÜSTERUS, probante TOURIO *Emend. ad*

Digitized by Google

ſtoriae Romanae APPIANI laudatur, ſupra iam a nobis relatum eſt. *r*)

VII. Sequuntur duo illi incertae aetatis ANONYMI, quorum teſtimonia de Scriptoris noſtri Hiſtoria Romana in *Manuſcriptis* APPIANI *Codicibus* exſtare monuimus. *s*) Ac eorum alter quidem, qui ſelectos Auctoris noſtri libros duobus voluminibus olim complexus eſt, profitetur, » ſe, » neglectis eis APPIANI libris, qui res Romanorum anti» quiores, itemque qui res ſub Imperatoribus geſtas ex» ponebant, (quarum quippe illae uberius a DIONYSIO » HALICARNASSENSI, hae a CASSIO DIONE perſcriptae eſ» ſent) ex APPIANI *Hiſtoria* eos potiſſimum libros, qui » *res Romanorum externas ac variarum Provinciarum hiſtoriam* » perſequerentur, ſelegiſſe, iisque *Prooemium* Auctoris prae» miſiſſe. « *t*)

Alterius *Anonymi* auctoris teſtimonium, quo librorum omnium quibus conſtabat APPIANI *Hiſtoria Romana*, *In-*

Suidam Parte II. p. 165.) iam rurſus inde hoc colligetur, non ex ſolis CONSTANTINI *Excerptis* APPIANEA ſua *Fragmenta* hauſiſſe SUIDAM. - - [* Haec tum ita ſcripſeram. Deinde vero in editione noſtra Appiani, Vol. III. pag. 901. de eodem Suidae loco (voc. Ναῦς) loquens, profeſſus ſum videri mihi viros illos doctos, qui fragmentum iſtud *Appiani* eſſe, non *Arriani*, contendunt, praeter rationem indulſiſſe ſuae coniecturae. » Etenim » nec ſtylus (inquam) magnopere iſtius fragmenti *Appianum* au» ctorem prodit, nec argumentum alienum eſt ab *Arriani* inſti» tuto; quippe quem ſcriptorem in *Parthica* quam edidit *Hiſtoria*, » *Traiani res adverſus Parthos geſtas* perſecutum eſſe Photius do» cet in Biblioth. Cod. CVIII. nec video quid obſtet quo minus » fluvium in Fragmento illo memoratum, *Euphratem* intelliga» mus. « - Caeterum in Appiani editione, Tom. III. pag. 898 ſq. certis rationibus evicimus, *in citandis Appiani teſtimoniis nonniſi Conſtantini Collectaneis uſum eſſe Suidam.*]

r) Vide *Sect. III.* not. *ff.*

s) Vide *ibid.* not. *d.*

t) Eius hac de re Admonitio legitur in editione HENR. STEPHANI poſt *Praefationem* Auctoris, pag. x. in *Tollii* autem edit. in fine libri, pag. 1228. his verbis: Τὸ προοίμιον μόνον τῆς Ἰταλικῆς τοῦ Ἀππιανοῦ Ἱστορίας τῇ παρούσῃ ἐνέταξα δίλτῳ. - - -

Digitized by Google

dex continetur, *u*) sectione praecedenti, distinctis quidem particulis, integrum exhibitum est, exceptis postremis verbis, quibus declaratur, in eo volumine, cuius fronti Elenchus ille praefixus erat, non nisi novem priores APPIANI libros fuisse comprehensos. *x*)

VIII. Ultimus ex Graecis scriptoribus, quem testem quodammodo de APPIANO nostro invocare possumus, GEORGIUS ille GEMISTUS sive PLETHO est, in philosophica historia ut Platonicae Philosophiae restaurator quidam acrisque defensor celebratus; qui paulo ante ea tempora, quo in Italia etiam innotescere coepit APPIANI *Romana Historia*, scilicet post seculi decimi quinti initium, omni scientiarum genere claruit. Is igitur PLETHO, sicut ex *Diodoro Siculo* atque *Plutarcho* Excerpta de gestis Graecorum post pugnam ad Mantineam; ex eodem *Diodoro*, de Assyriorum ac Medorum regno; ex *Dionysio Halicarnasseo* aliisque alia Excerpta confecit: *y*) sic etiam ex APPIANI nostri *Syriaca Historia* amplum admodum *Excerptum* reliquit. *z*)

Δεῖ μέντοι τὴν μὲν ἀρχαιολογίαν τὴν Ῥωμαϊκὴν ἐκ τοῦ Διονυσίου λαμβάνειν. - - - τὰ δὲ μετὰ τοὺς μονάρχους, ἐκ τοῦ Δίωνος· τὰς δὲ κατὰ ἔθνος πράξεις, ἐκ τοῦ παρόντος ΑΠΠΙΑΝΟΥ. ἀφ' οὗ ἀναλεξάμενος ἴγωγε τῶν μὲν Ἐμφυλίων τὰ τοῦ Αὐγούστου καὶ Ἀντωνίου, καὶ ἑξῆς τούτοις τὰ Ῥωμαίους πρὸς Αἰγυπτίους ἄχρι Κλεοπάτρας γένομενα· ἔτι δὲ τὰ Ἰουδαϊκὰ, καὶ τὰ Ποντικὰ, καὶ τὰ Δακικὰ, οἷς ὁ Τραϊανὸς ἐλαμπρύνατο, τά τε Ἰβηρικὰ, καὶ τὰ Ἀντιβαϊκὰ, τά τε Καρχηδονικὰ, καὶ τὰ Σικελικὰ, καὶ πρὸς τούτοις τὰ Μακεδονικὰ, καὶ τὰ Ἑλληνικὰ, καὶ, πολλῶν καὶ ἄλλων ὄντων, τούτοις ἀρκισθεὶς, ἐν ὑσοὶν αὐτὰ συτέθηκα τεύχεσιν.

u) Vide *Sect. III.* pag. 16 sq. ibidemque not. *d.*

x) *Ὁμοῦ λόγοι κβ'. ἐξ ὧν ἐν τῷ παρόντι βιβλίῳ εἰσὶν θ'. μόνοι.* Quae verba tam in *Florentino* Codice, quam *in Augustano*, leguntur.

y) De quibus vide FABRICIUM in *Bibl. Graec.* Tom. X. pag. 741. num. I. p. 744. num. VIII.

z) Ex APPIANI *Syriacis Excerptum* PLETHONIS *de Macedonibus Syriae Regibus* exstare inter Codices Mss. Bibliothecae *Caesareae Vindobonensis*, iam ex eius Bibliothecae Catalogo adnotaverat FABRICIUS, loco paulo admodum ante citato, pag. 744. not. *t.*

Digitized by Google

SECTIO V.

Recenſentur Libri ex univerſa APPIANI *Hiſtoria Romana hodie ſuperſtites.*

De univerſo APPIANI opere, cuius ſingulos libros (*Sectione III.*) recenſuimus, de quo eodem (*Sectione proxime praecedente*) varia Veterum Teſtimonia, quoad ea quidem adhuc ad noſtram pervenere notitiam, collecta dedimus, dimidia fere pars iniuriâ temporum periit: *a*) ad noſtram aetatem, praeter *Fragmenta* ea, aut *Excerpta*, de quibus proxime diximus, *b*) non niſi *undecim libri*, qui quidem vere APPIANI ſint, cum unius libri *Epitome*, pervenerunt. Et EPITOME quidem, quam dixi, CELTICI eſt LIBRI, *ſive Hiſtoriae Romano-Gallicae*, ab incerto auctore, eâdem fere ratione qua latinae LIVII librorum *Epitomae*, breviſſime contracta. Reliqui autem Libri, qui, ſive omni ex parte, ſive maiori ſaltem, integri ad nos pervenerunt, hi ſunt: Liber *Ibericus*, *Annibalicus*, *Punicus*, *Illyricus*, *Syriacus*, *Mithridaticus*, denique *de Bellis Civilibus Libri V.* Quorum Librorum ut paulo uberiorem aliquam notitiam

Cuius *Excerpti* planiorem notitiam nobiscum communicaſſe, atque etiam ex duobus *Caeſareis* Codicibus enotatas ſua opera manuque varias Lectiones, pro ſua humanitate atque ſingulari Graecas literas iuvandi ſtudio, ad nos transmiſiſſe Virum Generoſiſſ. ALOYS. EMERICUM A LOCELLA, iam ſupra in *Epiſtola ad Lectorem* oſtendimus. Eſt autem in utroque eorum Codicum *Excerpti* illius inſcriptio huiusmodi: Πλήθους ἐκ τῶν ΑΠΠΙΑΝΟΥ ἱστοριῶν περὶ τῶν κατὰ Συρίαν Μακεδονικῶν Βασιλέων. De iſta ſcribendi nominis ratione per ſimplex π conf. ſupra *Sect. I.* not. *b.* & huius Sectionis notam *f.* in fine.

Sect. V. a) Non enim ex iis ſolum APPIANI Libris, qui conſulto a quibusdam (quemadmodum ab *Anonymo* illo, qui ſelectos ediderat Scriptoris noſtri libros) neglecti videri poſſunt, perierunt haud pauci; ſed etiam horum ipſorum, quos prae caeteris conſervare idem ille ſelectorum librorum editor ſtuduerat, maior pars intercidit.

b) Vide *Sect. IV.* num. IV. & V.

Digitized by Google

cum Lectoribus noſtris hoc loco communicemus, inſtituti ratio poſtulare videtur.

I. Eſt ergo primo *Liber* IBERICUS *ſ.* HISPANICUS, id eſt, *de rebus Romanorum in Hiſpania geſtis.* Is in duas quaſi partes distributus, primum ea, quae cum Carthaginienſibus in Hiſpania geſſere Romani; tum, quae cum ipſis Hiſpanis, ſive Iberis ſive Celtiberis, exponit: *c*) ut uno hoc libro omnis Hiſpanica hiſtoria, inde a prima Amilcaris Barcae, Carthaginienſis, qui pater Annibalis fuit, in illam regionem facta irruptione, usque ad Hiſpaniam in Romanae provinciae formam redactam, continua ſerie perſcripta ſit. Quae ab eo tempore usque ad Caeſarem Auguſtum geſta ſunt, non niſi levi ſtilo percurruntur: nam de Sertorianis turbis, quod civile potius bellum quam cum Hiſpanis erat, ſimiliterque de Iulii Caeſaris Hiſpanico bello, commodiori loco copioſius dictum eſt; *d*) quae autem ab Auguſto in Hiſpania ſunt adminiſtrata, ea ſine dubio in deperdito libro, quibus res geſtae Caeſarum continebantur, pertractavit Auctor.

II. *Hiſtoria* ANNIBALICA: quo libro expeditio ab Annibale in Italiam adverſus Romanos ſuscepta, & quidquid per illos ſedecim annos geſtum eſt, quibus Italiam devaſtavit Poenus, adcurate perſcribitur.

III. *Hiſtoria* LIBYCA, vel potius ſola PUNICA, ſive *Carthaginienſis* hiſtoria; nam, quae cum *Punica* coniunctim *Libyco libro* continebatur, *Numidica* intercidit. *e*) In hoc libro, initio ab origine urbis Carthaginis facto, prae-

c) Vide pag. 256. d.

d) De bello Sertoriano in Hiſpania geſto agitur Libro I. *de Bellis Civil.* p. 418 ſqq. ad quem locum etiam ablegavit lectores ſuos Auctor in ipſa hac *Iberica* hiſtoria pag. 313. a. De Iulii Caeſaris expeditione contra iuniorem Pompeium in Hiſpaniam ſuscepta, vide Lib. II. *de Bell. Civ.* p. 492 - 494.

e) Ex *Numidica* Hiſtoria Fragmenta duo exhibentur in *Excerptis* ab URSINO editis, p. 370. num. XXVIII. & XXIX. duoque alia in *Excerptis Valeſianis* p. 560.

Digitized by Google

miſſaque ſtrictiſſima bellorum omnium deſcriptione, quae Romanis cum Carthaginienſibus in Sicilia, in Hiſpania, in Italia, in ipſa Africa interceſſerunt, ea ex profeſſo perſequitur Auctor, quae ſunt in Africa adverſus Carthaginienſes geſta. Et quidem, quae primo Punico bello, Atilio Regulo duce, haud admodum feliciter adminiſtrata erant, leviter perſtrictis; ea potiſſimum, quae ſecundo tertioque Punico bello, usque ad everſam a Romanis Carthaginem, Africamque in Provinciae formam redactam, geſta ſunt, copioſe exponuntur. Ibi cum reliqua narratio lectu digniſſima, tum vero ultimae inprimis oppugnationis excidiique florentiſſimae urbis hiſtoria graphice ab Auctore noſtro deſcripta eſt, atque eo etiam praeterea maxime memorabilis, quod unus Auctor APPIANUS ad noſtram aetatem pervenerit, e quo hiſtoriae illius pleniorem notitiam repetere poſſimus. Breviſſima quaedam verba de coloniis Romanis in Africam miſſis, ac de reſtituta per Auguſtum Carthagine, librum iſtum claudunt.

Ac mihi quidem hanc *Punicam* hiſtoriam legenti relegentique viſum eſt nonnumquam, *non ſatis integrum* eum librum, paulo poſt exordium, ad nos perveniſſe. De Atilii certe Reguli adverſus Carthaginienſes expeditione, cuius deſcribendae proprius hoc libro locus erat, nimis quodammodo, pro ea quidem ratione quam caeteroquin in rebus huiusmodi exponendis ſequi ſolet APPIANUS, ſtricta atque conciſa videbatur narratio. *f*) Sed illam ſuſpicionem non

f) Mihi ſic plane videtur, univerſam illam Reguli Hiſtoriam, ab Epitomatore, neſcio quo, in breve illud ſpatium, quod ea nunc apud *Appianum* occupat, eſſe redactam. Quidquid autem eius rei ſit, quum in mentionem huius partis *Libri Punici* inciderim, iuvabit eâdem occaſione loco cuidam, librariorum ſocordiâ depravato, qui ſub finem eiusdem hiſtoriae Reguli occurrit, medicinam adferre. Scilicet de hoc Regulo, quem cum legatis e ſuis popularibus (σὺν οἰκείοις πρέσβεσιν, non πρέσβεσιν, quomodo monſtroſe in editis omnibus libris legitur) Romam miſerant Carthaginienſes, legimus *Hiſt. Punic.* pag. 3. b. » Poſt» quam is Romanos magiſtratus ad continuandum cum Poenis

ſolum auxit, verum etiam plane confirmavit, quod in *Iberica* Hiſtoria profitetur Auctor noſter, *de iis, quae a Tib. Sempronio Longo, ac poſt eum ab aliis Romanorum ducibus*, dum in Hiſpania Scipiones bellum adminiſtrarent, *circa Afri-*

» bellum erat cohortatus, ἐπανῆλθεν εἰς λίμνην ἕτοιμος, *reverſus* » *eſt ad lacum paratus.* « Ubi vocem λίμνην vitioſam eſſe, facile adparet; neque dubium eſt, eamdem ex praecedenti pagina, ubi ea bis occurrebat, per incogitantiam librarii, qui eam adhuc in animo habebat, in locum alterius cuiusdam nominis, quod ſive ſono ſive ſcribendi formâ huic quodammodo vicinum erat, perperam eſſe traductam. Λιμίνα confidenter reponi iuſſit PALMERIUS, in *Exercitationibus in Auctores Graecos* p. 151. ac latine vertit, *in portum reverſus eſt ad omnia paratus.* Sed ſic, neque qua ratione *portus* adeo nude & abrupte hoc loco poſitus ſit, intelligitur; neque in Graecis leguntur verba illa, *ad omnia*, ſine quibus ſenſus omnino non conſtat emendationi verſionique a Palmerio prolatae.

Longe ingenioſius, atque (ob literarum ν & υ, itemque μ & β, prout lit. β in Mss. Codicibus, inde a nono ſeculo frequenter pingi ſolet, ſimilitudinem) ſimplicius etiam ac probabilius videri poſſit, ſi pro λίμνην legendum dicas Λιβύην, *in Africam reverſus eſt:* quam eamdem medicinam, ni etiam ſic obſtaret orbum illud ac deſertum ἕτοιμος, huic loco ſe adlaturum fuiſſe, nuper mihi HEYNIUS, Vir Celeb. ſignificavit, cuius & iam nunc praeclara in *Appianum* noſtrum merita exſtant, & plura quoque deinceps eſſe futura, confido. Atque ea quidem ratione antiquus latinus interpres PETR. CANDIDUS vel legiſſe hunc locum, vel ſaltem intellexiſſe, videri poteſt; quem locum ille, omiſſo vocabulo ἕτοιμος, ſic interpretatus eſt: *Ita Carthaginem reverſus, cavea clavis circumvallata incluſus, exſtinguitur.* At vero, qui cum his latinis Graeca contulerit, is facile ſibi perſuadebit, interpretem nomen illud *Carthaginem*, ex ſequenti voce Καρχηδόνιοι expreſſiſſe, atque tria ea verba, de quibus nos quaerimus, εἰς λίμνην ἕτοιμος, ſive quod ea in ſuo exemplari non legiſſet, ſive quod non intellexiſſet, plane praeteriiſſe. Atqui ea verba, quae in *Auguſtano* etiam Codice, ſicut in impreſſis, exhibentur, (niſi quod pro ἕτοιμος legatur ἕτοιμον) eo minus videntur negligenda, quo aptior ſententia, ſi leviſſimam adferas mutationem, eamque omnino neceſſariam, iisdem continetur.

Mihi quidem nullum eſt dubium, quin ea huius loci ſententia ſit, quam (ſicut aliorum plurimorum Auctoris noſtri locorum

cam gesta sint, in ipso hoc Carthaginiensi libro a se dictum esse; in quo libro tamen, prout eum quidem in exemplaribus hodie exstantibus legimus, nulla omnino mentio neque Sempronii illius, neque ullius alterius ducis Romani, qui post eum, ante Scipionem, in Africa vel circa Africam

sensum, qui vel librariorum culpâ, vel editorum, corrupti hodie leguntur) acute expressit doctissimus alter interpres SIGISM. GELENIUS: *reversus est paratus ad supplicium*; nisi quod ex Msti *Augustani* praescripto melius ita verti videatur, *ad paratum supplicium, ad cruciatus eos qui illum* (Carthagine) *manebant.* Neque vero admodum obscurum videri debet, λίμνην ex λύμην esse corruptum; quo quidem nomine, id ipsum, quod volumus, significante, alibi etiam utitur Appianus. Sic enim *Civil.* Lib. I. pag. 400. b. coniunguntur λῦμαι καὶ θάνατοι καὶ δημεύσεις, *cruciatus, caedes, ac proscriptiones.* Sic rursus in *Fragm. X.* apud URSINUM pag. 351. quod ex *Celtico* libro excerptum est, Κορνήλιος, inquit, Βριτόμαριν μόνον ἦγεν αἰχμάλωτον ἐπὶ λύμῃ. *Unum Britomarin captivum abduxit Cornelius, gravioribus cruciatibus reservatum.* Itemque verbo λυμαίνεσθαι, *cum cruciatu enecare,* plus semel utitur idem Auctor noster; ut *Mithridat.* p. 205. d. Ibid. p. 206. d. Item de *Bellis Civil.* Lib. I. p. 420. e. ἀγρίως καὶ βαρβαρικῶς ἐλυμαίνετο πολλοῦς, *multos barbarica saevitia excruciatos necavit.* Dicitur autem ἐς λύμην ἕτοιμον, fere ut ἐπὶ ἔργον ἕτοιμον, *Syriac.* p. 92. e. ἐπὶ θήραν ἕτοιμον, *Civil.* Lib. V. pag. 730. b. Et sicubi alibi in impressis *Appiani* exemplaribus forma foeminina illius adiectivi diversa legitur, (ut τὴν πομπὴν οὐχ ἑτοίμην ἔχων, *Civil.* Lib. II. pag. 432. c. & *Mithrid.* pag. 177. c. ἑτοίμην ἔχων δύναμιν) vitiosa illa lectio est, ac pro ἑτοίμην, ex sermonis usu, & ex Codicis *Augustani* (in loco quidem ex *Civil.* Lib. II. adlato) praescripto, ἕτοιμον reponendum; sicut eodem Libro p. 492. c. in impressis quoque recte scriptum legitur γνώμην ἕτοιμον, ac loco paulo ante citato θήραν ἕτοιμον. Si quis tamen in nostro hoc loco, de quo disputavimus, vocem ἕτοιμος im primo casu retinendam duxerit, nolim pertinacius repugnare; quamquam praepositio εἰς commodius a verbo ἐπανῆλθεν pendere videtur, quam a nomine ἕτοιμος, verbo sine regimine relicto. -- [* Istis ita scriptis comperi deinde, manuscriptos Codices omnes, quotquot hodie supersunt, accusativum ἕτοιμον tueri; emendationem autem nostram, λύμην, auctoritate vetustissimi Codicis Vaticani, qui hoc ipsum vocabulum agnoscit, confirmari; eiusdemque vocabuli haud dubium

Digitized by Google

aliquid gesserit, occurrit. *g*) De alia huius Libri lacuna, per adiectam in ipsis exemplaribus, cum manu exaratis, tum typis excusis, *notam* monetur lector. *h*) Est autem in eodem libro, in earum rerum historia, quae Censorino Cos. Carthaginem oppugnante, a Scipione minori gesta

vestigium in Bavarico Codice ipse reperi, in quo λοίμην scriptum, usitatâ imperitis librariis confusione vocalium *οι* & *υ*.]

g) Vide *Ibericam* historiam p. 262. b. ac confer *Punicam* p. 4. ubi a brevi commemoratione exordii belli *Punici* II. ac rerum in Hispania per id tempus gestarum, subito transitur ad P. Scipionis in Africam profectionem, nullâ neque Sempronii, neque alius cuiusquam ducis Romani, qui ante Scipionis adventum aliquid adversus Africam vel tentaverit, vel susceperit, factâ mentione. Atqui post Sempronium Longum, qui quidem Africae ipsius non adtigit oram, sed tamen Africam Provinciam fortitus erat, A. U. C. 536. atque in mandatis habuerat, ut in Africam transmitteret, (conf. Livius Lib. XXI. cap. 17. & 50 seq.) variae a Romanis classibus in Africam expeditiones, ante Scipionis ex Hispania reditum, fuerant susceptae: a Cn. Servilio Cos. A. U. 537. (Livius XXII. 31.) a L. Furio Praetore A. U. 538. (Liv. XXIII. 21.) a M. Valerio Messalla A. U. 544. (Livius XXVII. 5.) a M. Laevinio Procos. A. U. 547. (Liv. XXVIII. 5.) Quibus expeditionibus quamquam parum effectum est adversus Carthaginienses; earum tamen mentionem aliquam utique in hac *Punica* historia iniicere debuit *Appianus*.

h) Ea lacuna est pag. 31. c. d. & quidem aliquanto maior videtur eo loco esse hiatus, quam ad marginem Codicum quorumdam adnotatum legimus. Scilicet in Codice *Augustano* ad hunc locum in margine notatum est: ἐνταῦθα λείπουσι στίχοι ι'. In *Florentino* Codice (cuius notitiam cum orbe literato communicavit Bandinius in *Catalogo Codicum Graecorum Biblioth. Laurentianae* Tom. II. col. 660.) spatium paucorum versuum vacuum reliquit librarius; ibidemque alia manu adscriptum est: Ζήτει τὸ λεῖπον τοῦ καταβάτου· ὀλίγον γάρ ἐστι. Ubi quidem quid sibi velit illud τοῦ καταβάτου, non valeo hariolari. [* τὸ κατάβατον ex mediae & infimae Graecitatis usu *paginam libri* dici, docuit Du Cange in Glossario, sub hoc ipso vocabulo.] In veteris versionis latinae editione *Moguntina* (an. 1522. in 4to. pag. 494.) & in *Lugdunensi* (an. 1551. in 16. p. 748.) ad eumdem locum, exiguo relicto spatio, haec legitur adnotatio: *Desiderantur hic pauca quaedam de populi tumultu, atque Romanorum consul-*

ſunt, locus lepide quodam modo depravatus, atque ita quidem, ut, qualis ille in impreſſis libris exhibetur, non poſſit non mancus etiam atque mutilus videri; ſed is locus nullâ omnino lacunâ laborat, ac levi uniùs alteriusque literae immutatione & emendari & perfectae integritati ſuae reſtitui poteſt debetque. *i*)

tatione de Rebus Carthaginienſium; id quod ex ſequentis orationis fragmento facile conſtare videtur. Sed in antiquioribus eiusdem verſionis editionibus, quarum nobis duae ex inſtructiſſima Univerſitatis noſtratis Bibliotheca ad manus ſunt; altera *Veneta* an. 1477. altera partim *Regii* an. 1494. partim *Scandiani* an. 1495. impreſſa, hoc loco integra pagina, & in *Veneta* editione pars etiam praecedentis paginae, ad indicandam lacunam, vacua relicta eſt, atque ad marginem adnotatur: *Defectus unius folii: in quo tumultus populi contineri videbatur; deinde Romanorum conſultatio de Rebus Carthaginienſium, ut patet ex fragmento orationis inſequentis.* [* Eam ipſam lacunam deinde, vetuſti Codicis Bavarici ope, quo Excerpta de Legationibus continentur, praeter ſpem nobis contigit ita expletam dare, ut nihil amplius deſideretur. Vide Praefationem noſtram in Appian. p. XXX - XXXII. & ipſam Appiani Hiſtoriam Punicam, cap. 56 - 59. p. 372 - 378. noſtrae editionis.]

i) Scilicet in eadem Hiſtoria *Punica*, p. 58. d. e. praeclare factum Scipionis poſterioris ad Carthaginem, in cuius urbis oppugnatione ille tum ſub Cenſorino Conſule tribunus militabat, commemoraverat APPIANUS, eamque Scipionis mentionem his verbis concluſerat: (pag. 58. *extr.* & 59. *ineunte*) καὶ τοῦτο πρῶτον αὐτὸν ἐπὶ δόξης ἐποίησεν, εὐβουλότερον τοῦ στρατηγοῦ φανέντα: *quod eius factum primam comparavit illi gloriam, quum plus quam Conſul ſapere viſus eſſet.* Iam vero poſt ea verba, in editis APPIANI exemplaribus, proxime ac immediate leguntur haec, κοινὸς δ' ἦν ἐπιστολή. καὶ τὸ Κηνσωρίνου στρατόπεδον ἐνόσει, σταθμεῦον ἐπὶ λίμνῃ σταθερῷ καὶ βαρίος ὕδατος, καὶ ὑπὸ τείχεσι μεγίστοις, οὐ καταπλεόμενον ἐκ τῆς θαλάσσης. Quem locum ita interpretatus eſt doctiſſimus alioquin interpres GELENIUS: *Communis autem erat epiſtola. Cenſorini caſtra tum laborabant morbis, ut ſtagnantibus aquis appoſita, & a mari diſcluſa magnis aedificiis.*

In tribus vel quatuor prioribus verbis omnis ineſt difficultas: ſatis enim clara ſunt, quae ſequuntur, de morbis in Cenſorini

Digitized by Google

IV. Sequitur ILLYRICA hiſtoria, a PETRO CANDIDO e *Vaticano* Codice iam olim cum reliquis APPIANI libris, qui eo Codice continebantur, *latine* facta; ſed a DAVIDE HOESCHELIO demum anno MDIC. ex ipſo hoc *Auguſtano* Codice, cuius nobis uſus conceſſus eſt, primum *Graece*, ac ſeparatim quidem, (non amplius ſedecim paginis

caſtris graſſantibus, quippe quae ad paludem poſita eſſent, cuius ſtagnante ac graveolentâ aquâ facile infici poterat aër; eoque etiam magis, quod murorum urbis altitudine, quibus ſubiecta erant illa Cenſorini ſtativa, marinae *aurae* refrigerans prohiberetur *adflatus*. Nam, pro vitioſo καταπλεόμενον, ex Cod. *Aug.* recipiendum eſſe καταπνεόμενον, vix opus eſt, ut moneamus; quam lectionem etiam CANDIDUS ex *Vaticano*, quo is uſus eſt, Codice in verſione latina expreſſit. Sed quamnam *communem epiſtolam* tam ſubito atque ex abrupto nobis hic narret APPIANUS, id quidem nulla ratione adparet: quod eo magis etiam mirum videri poteſt, quoniam lacunae nullum ſignum, (quae tamen, ſi ea verba caeteroquin ſana eſſent, neceſſario proxime ante illa verba eſſet ſtatuenda) in manuſcriptis Codd. ad hunc locum conſpicitur. Neque enim in *Auguſtano* Codice quidquam tale, vel in ipſo contextu, vel ad marginem notatum aut indicatum, occurrit; neque CANDIDUS in ſuo exemplari ullam defectus ſuſpicionem hoc loco viderat; qui quidem, quum ibi eadem plane verba, κοινὸς δ' ἦν ἐπιστολὴ, continua ſerie cum reliquis legiſſet, commode etiam cum praecedentibus haec cohaerere putavit, ac latine hoc modo reddere conatus eſt: *exſtat enim de hac re ipſius epiſtola*. Et CAROLUS STEPHANUS, ex cuius editione duae alterae APPIANI editiones expreſſae ſunt, quum *Aſteriſco* hunc locum notaverit, tamen ne unius quidem literae vacuum ſpatium reliquit; adeoque per aſteriſcum illum non tam pro mutilo, quam alia ratione inſigniter depravato, hunc locum declaravit: quod & frater eius ROBERTUS in Graecorum Scriptorum editionibus facere conſueverat; de quo eius more videri poteſt eiusdem ROBERTI STEPHANI admonitio ad lectorem, editioni Dionyſii Halicarnaſſenſis ſubiecta.

Importunae voci κοινὸς, quae caeteroquin neque cum nomine ἐπιστολὴ, neque cum alio quovis nomine foeminino, ſtare poterat, praeſentem medicinam adfert idem, quem iam toties laudavi, *Auguſtanus* Codex, qui, pro κοινὸς, legit κυνός. Quo adhibito remedio, toti deſperato paene loco feliciſſima ſanatio nullo

in forma quarta) *Augustae Vindelicorum* edita. Cuius libri cum in *Stephanorum* APPIANI editionibus non nisi breve fragmentum, exordium fere continens, Graece exstaret; ne in Batava quidem editione, quae anno MDCLXX. *Amstelodami* prodiit, & *Alexandri* TOLLII Editoris nomen prae se fert, integer liber est insertus: scilicet ne putidae negligentiae, quam in ea editione procuranda prodidit ille Editor, vel hoc etiam specimen deesset. *Illyrico* autem hoc libro, expositâ gentium earum, quae *Illyricarum* nomine comprehenduntur, origine, sede, priscaque historia, atque enarratis superioribus Romanorum adversus Illyrios bellis, Caesaris Augusti dehinc expeditio, ex propriis eiusdem *Commentariis* describitur; qua Expeditione Dalmatia Illyriaque omnis, quae sive olim Romanis subiecta defece-

negotio parata est. Nam ad vocem ἐπιστολὴ quod adtinet, quae & ipsa corrupta est, eam quidem etiam Codex ille noster exhibet; sed nihil in msstis libris vulgatius est, quam figurarum τ & ϛ commutatio: qua ratione, cum apud alios, tum & apud ipsum Auctorem nostrum ἐπιστέλλω & ἐπιτέλλω saepius inter se perperam commutantur: velut cum de *Bellis Civil.* Lib. III. p. 557. a. in *Impressis* legitur ἐπίτελλε τῇ βουλῇ, pro quo recte *Codex August.* habet ἐπίστελλε τῇ βουλῇ. Igitur nemo, puto, harum rerum vel paulisper peritus dubitabit, in Graecis hoc loco, de quo quaerimus, mecum reponere: Κυνὸς δ' ἦν ἐπιτολὴ, καὶ τὸ Κητωρίου στρατόπεδον ἐνόσει, κ. τ. λ. *Exorta erat Canicula*; (*aderat*

Flagrantis atrox hora Caniculae.)

Itaque morbi grassabantur in Censorini castris &c. Solis ortus plerumque ἀνατολὴ dicitur, quamquam & μεθ' ἥλιον ἐπιτολὴν minime male apud Nostrum legatur, *de Bell. Civil.* V. p. 724. b. Sed in *reliquorum siderum* ortu inprimis proprius huic vocabulo ἐπιτολὴ locus est: adeoque κυνὸς ἐπιτολὴ est *Caniculae exortus:* quemadmodum etiam, ubi apud APOLLONIUM RHODIUM, *Argonaut.* Lib. II. v. 529. legitur:

Αὐτολέων προπάροιθε κυνὸς ῥέζουσι Θυκλάς.

illae ἀνατολαὶ κυνὸς vulgari sermone a Scholiaste exponuntur per ἐπιτολὴν τοῦ κυνός. *Caniculae* autem *exortum* pro ipsis *diebus Caniculuribus* dici, ita usitatum & Graecis & Romanis, ut nemini alienum videri debeat. Denique tota illa verborum constructio,

Digitized by Google

rat, ſive ad id tempus libertatem ſuam vindicaverat, devicta eſt, Romanoque imperio ſubiecta. *k*)

V. SYRIACUS hunc excipit *Liber; l*) quo res a Romanis adverſus Antiochum M. Syriae Regem, ſive in Europa, ſive in Aſia geſtas, copioſe exponit APPIANUS; tum vero ſuccedentium Syriae Regum breviter hiſtoriam perſequitur, usque ad ultimum illum Antiochum, quem Pompeius, victo Tigrane, qui Syriam per quatuordecim annos tenuerat, precario regno ſpoliavit, Syriamque in Romanae provinciae formam redegit. Ut iuſtam libri menſuram compleret Auctor, *Romano-Syriacae* illi hiſtoriae praecedentium Seleucidarum Syriae Regum res geſtas & fata usque ad Antiochum M. ſubiecit.

Qui vero Vir longe doctiſſimus, cuius alias auctoritas, apud me, ſicuti debet, plurimum valet, APPIANUM noſtrum conceptiſſimis verbis accuſavit, quod in hoc *Syriaco libro PLUTARCHI compilatorem* ſeſe prodiderit, atque etiam *inepte* Biographum illum *deſcripſerit; m*) is certe (niſi

κυνὸς δ' ἦν ἐπιτολὴ, καὶ τὸ Κνισωρίνου στρατόπεδον ἐνόσει, cum & aliàs admodum uſitata, tum vero ſimillima ei eſt, qua utitur idem noſter Auctor, *Bell. Civil.* I. p. 358. a. Θέρος δ' ἦν ἤδη, καὶ προγραφαὶ δημάρχων ἐς τὸ μέλλον. καὶ οἱ πλούσιοι . . . ἐνδηλοι σαφῶς ἦσαν ἐσπουδακότες κ. τ. λ. *Cum iam aeſtas atque tempus creandorum tribunorum plebis adeſſet; aperte operam dabant divites* &c.

Quod ſi cui nimius etiam fortaſſe videar fuiſſe in adſtruenda ſatis perſpicua loci iſtius noſtri emendatione, nos quidem non poenitebit, uno aut altero exemplo demonſtraſſe, quamquam multis errorum millibus Graeca APPIANI, quae in *impreſſis* Exemplaribus ad hunc diem leguntur, noſtrâ operâ liberatum iri recipimus, non tamen eos nos eſſe, qui novaturiendi quodam pruritu, aut alia temeritate, ad vulgatas lectiones citra iuſtas cauſſas loco ſuo movendas, cum aliisque commutandas, abripiamur.

k) De eodem *Illyrico* Libro conf. *Sect. III.* num. XV.

l) Vide *Sect. III.* num. XII.

m) Io. Aug. ERNESTI in Diſſert. *de Fide Hiſtorica recte aeſtiman-*

forte aliud quid in mente habenti haec ei excidiſſe putanda ſunt) vereor, ut umquam APPIANUM vel cum *Plutarcho* contulerit, vel etiam per ſe ipſum inſpexerit. Ex PLUTARCHO in caeteris libris nihil ſumſiſſe APPIANUM, deinceps demonſtrabimus; *n*) ſed in hoc *Syriaco* libro nihil magnopere ne ſumere quidem potuiſſe, res paene ipſa loquitur; quoniam nullius vitam ex iis viris, quorum res geſtae aut fata paulo copioſius hoc libro exponuntur, *Plutarchus* conſcripſit. *o*) Sed nimirum *Parthicum* illum librum, qui falſo a plerisque APPIANO tribui ſolet, in mente habuiſſe Vir doctiſſimus videtur.

VI. MITHRIDATICO libro grave illud ac tam diuturnum, quam varium atque multiplex, cum Pontico Mithridate a Romanis geſtum bellum, feliciterque tandem, Pompeio duce, confectum, copioſe adcurateque deſcriptum eſt. Eidem libro quaſi epiſodica hiſtoria *Piratici belli*, eodem Pompeio duce confecti, opportuno loco inſeritur. In eo libro, qualis hodie cum in *manuſcriptis* Codicibus, tum in *impreſſis* exſtat, unum folium, quo finis illius con-

da, Lipſiae 1746. defenſa, & recuſa in *Opuſculis Philologicis Criticis*, quae Lugd. Bat. 1764. *multis locis emendata & aucta* prodierunt. Ibi §. 47. pag. 98. edit. Lugd. de innocentiſſimo noſtro Scriptore durum hoc ac nimis ſane (praefiſcine dixerim) iniquum legitur iudicium: *APPIANUM omnes, qui diligenter intelligenterque legerunt, cognoverunt ineptum Graecorum, inprimisque PLUTARCHI compilatorem, quem etiam interdum ita deſcripſit, nominatim in Syriacis, ut aut non intellexiſſe aut feſtinantiſſime ſcripſiſſe appareat.*

n) Vide *Sect. VI.*

o) Nam quae de Pompeio (p. 119.) itemque de Demetrio Poliorceta, Antigoni filio, (pag. 122.) breviſſimis verbis commemorat APPIANUS, ea *ex* PLUTARCHO *deſumta* eſſe, fruſtra ac praecario aliquis dixerit; non eſſe autem e PLUTARCHO *deſcripta*, quisque ſe ipſe condocere poteſt, qui noſtrum Scriptorem cum Chaeronenſi polygrapho conferre voluerit. Neque vero illam de amore Antiochi I. Seleuci Nicatoris filii, hiſtoriam, quam (pag. 126. med. & ſq.) APPIANUS refert, ex eiusdem Plutarchi *Demetrio* (pag. 907.) *deſcriptam* putabit quisquis cum

Digitized by Google

tinebatur, perperam in frontem libri esse reiectum, iam supra est a nobis data occasione monitum. *p*)

VII. Sequitur CIVILIUM BELLORUM historia; cuius *primo Libro* intestinarum illarum turbarum enarratio, quibus lacerata diu ac tandem oppressa est Romanorum Respublica, a Gracchorum seditione usque ad Syllae obitum perducitur; primique triumviratus calamitatibus historia *Sertoriani belli* in Hispania gesti, motuumque a Spartaco in Italia excitatorum, subiicitur.

VIII. *Secundus de* BELLIS CIVILIBUS *Liber*, a Catilinae incipiens coniuratione, alterum triumviratum exponit, in Iuliique Caesaris caede desinit.

IX. *Tertius* turbarum ab Antonio Octavianoque post mortem Caesaris excitatarum continet initium, ac novorum Triumvirorum gesta adversus Caesaris interfectores, usque ad Decimi Bruti interitum, exponit.

X. *Quartus* CIVILIUM BELLORUM *Liber* proscriptionum caediumque a Triumviris editarum horrendas scenas graphice depingit, ac bellum adversus reliquos Caesaris interfectores, M. Brutum Cassiumque, confectum refert.

XI. *Quintus Liber* Octaviani Antoniique mutuas dissensiones enarrat, & in Sexti Pompeii, cum quo grave bellum Octavianus sustinuit, interitu finitur. Is liber in fine mutilus est; nam & extremi inter Octavianum Antoniumque dissidii pugnaeque Actiacae enarratio, & devictae ab Octaviano *Aegypti* historia, de qua supra dictum est, *q*) desiderantur.

Appiani narratione Plutarchum contulerit. In eorum autem gratiam, quibus istam instituere collationem libuerit, hoc loco adnotare iuvabit, in illa APPIANI narratione pag. 126. c. pro ἐς τὸ πάθος αὐτὸ, legendum esse ἐς τὰ πάθος αὐτοῦ. *Ibidem*, *e*. pro ἐπιμελείας legendum ἐπιθυμίας. *Pag.* 127. *c*. pro προτιμότερον αὐτῷ θανάτου leg. προτιμάμενον αὐτῷ θανάτου. *Pag. ead. c*. pro τὴν ὁρμὴν leg. τὴν γνώμην: idque cum ex *Augustani* Codicis, tum ex *Vaticani*, auctoritate.

p) Ad *Sect. III.* num. XIV. not. ζ.

q) *Sect. III.* num. XXI.

SECTIO VI.

Demonſtratur: PARTHICUM LIBRUM, qui inter APPIANI Scripta legitur, NIHIL AD APPIANUM PERTINERE; FALSOque PLAGII CULPAM in Scriptorem noſtrum eſſe collatam.

1. Exſtat inter APPIANI opera cum in *impreſſis* libris, tum in *manuſcriptis* cunctis Codicibus, qui quidem pleniorem aliquam collectionem librorum Scriptoris noſtri ſuperſtitum continent, †) monſtrum quoddam libelli, e PLUTARCHI *vitis Craſſi Antoniique* miſerrime conſarcinati; quo *bellorum adverſus Parthos*, a Craſſo primum, tum ab Antonio geſtorum, minime inter ſe apta atque cohaerens enarratio quaedam continetur. Atqui ad intelligendum, ab APPIANO noſtro proficiſci minime potuiſſe putidum illum, neſcio cuius, plagiarii foetum, ſatis ſuperque eſſe debebat, hoc ipſum obſervaſſe, quod iam modo dixi; quod idem etiam a plerisque, qui APPIANUM tractarunt, obſervatum eſt: nimirum, e *Plutarcho*, atque admodum quidem puerili etiam ratione, compilatum eſſe eum libellum, ac neque dictionis colore, neque tota ratione, qua eius libri argumentum pertractatum eſt, quidquam cum APPIANI ſcriptis commune habere. Sed neſcio, quo caſu, quove APPIANI infortunio, aut qua ſummorum quoque Virorum ſive dormitatione, ſive etiam obſtinata quadam occaecatione, factum eſt, ut nihilo minus, quoniam ſcilicet in manuſcriptis Codicibus ei libello nomen praefixum *Appiani* erat, hi puerilem iſtam ineptiſſimamque compilationem, pro PARTHICO eo LIBRO, qui ab APPIANO ſcriptus iam pridem intercidit, uno ore venditarint, totiusque illius flagitii culpam in graviſſimum noſtrum innocentiſſimumque Scriptorem non erubuerint conferre.

†) In *Auguſtano* Codice, in *Mediceo*, in duobus *Regiis Pariſienſibus*, duobus *Vaticanis*, & *Venetis* duobus: quorum quidem Codicum nullus ante Seculum decimum quartum, plerique recentiori etiam aetate, conſcripti ſunt.

Digitized by Google

II. Ea res, dici vix poteſt, quantam nihil tale merito APPIANO conflaverit invidiam, quantumve ad deprimendam nobiliſſimi Scriptoris auctoritatem contulerit. Nam ex quo ipſe APPIANI *Editor*, HENRICUS STEPHANUS, qui ſane Scriptorem eum, cui patrocinium addixerat ſuum, non temere, neque incognitâ cauſſâ diffamaturus debebat videri, non ſolum perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut incondítum hunc atque informem libellum pro *Parthica* illa hiſtoria haberet, quam ſuo nomine APPIANUS edidiſſet; verum etiam ſingulari *Commentario* de profeſſo conatus eſt *oſtendere, qualis fuerit iſta, quae APPIANO peculiaris eſſe exiſtimatur, alienorum Scriptorum uſurpatio: a*) ex eo igitur tempore, mirum non eſt, auctoritate STEPHANI deceptos multos in eamdem de eo libello eiusque auctore ſententiam iviſſe. Ac STEPHANUS quidem non ſane obtrectandi animo illud in auctorem, quem edebat, dixerat; potius *eo magis in pretio habendum* cenſuerat APPIANUM, quod eo potiſſimum modo & PLUTARCHUM & alios Scriptores excerpſiſſet. Sed mox eam rem, prout nimirum illa, ſi modo vera eſſet, merebatur, in aliam partem interpretati ſunt alii; ut per riſum iam atque contemtum *alienorum laborum fucum* vocitarent APPIANUM: quae infamiae nota, graviſſimi Scriptoris nomini inuſta, praeludente acerrimo eiusdem obtrectatore IOSEPHO SCALIGERO, *b*) mox com-

a) HENR. STEPHANUS in fine *Adnotationum in APPIANI Librum de Rebus a Romanis adverſus Parthos geſtis*, pag. 46.

b) IOS. SCALIGER in *Animadverſionibus in Chronologica EUSEBII*, ad an. MMXXI. pag. 177. col. b. -- Quod quoniam SCALIGER a ſe impetrare potuit, ut eiusmodi plagii, tam puerili praeſertim conatu commiſſi, bonum APPIANUM convictum declararet, iam minime mirum eſt, ſi alia praeterea multa, tam dura, quam iniurioſa, in eumdem praeclariſſimum Scriptorem ab homine ſupercilioſo dicta legimus; cuius nota caeteroquin atra bilis eſt, ac iniuriarum torrens, quas in eos effundere ſolebat, quorum finiſtrum ſidus ita tulerat, ut magno SCALIGERO displicerent. Igitur, quum de *Deliriis APPIANI*, (*Canon. Iſagog.* Lib. III. p. 346.) de iis quae ab eodem *balbutita*, (*Animadverſ. ad Euſebii*

muni doctorum virorum calculo comprobata est, atque

Chronol. ad an. DCCCXC. pag. 84.) quae *imperite* (ibid. ad an. MCMXCII. p. 168.) quae *portentose dicta* (ibid. ad an. MMXL. p. 212.) criminatur SCALIGER, & quae sunt eius generis alia APPIANO tributa elogia, lego; tum iratum quidem APPIANO SCALIGERUM fuisse, video: quo iure id factum sit, sine ira & studio mihi quaerere licet. Et quamquam a communi mortalium sorte non exemtum inveni Scriptorem meum, quin hinc inde aliquid ita dixerit, ut curatius quodammodo, aut propius ad rei veritatem, dici potuisse videatur; tamen vel plane iniurioſe, vel nimis saltem acerbe ac nimis confidenter de Scriptore nostro iudicasse SCALIGERUM reperio.

Nam ut ad quasdam ex obtrectationibus, in APPIANUM a vehementissimo adversario collatas, sigillatim accedam: quis credat, universae historiae Romanae Scriptorem, qui regum Romanorum res gestas peculiari etiam Libro (ac summa quidem cum veracitatis laude, iudice PHOTIO) descripserat, qui idem in *Prooemio* operis sui (*p. III. e.*) disertis verbis dixerat, » *per* » *dimidiam partem priorum quinque seculorum*, intra quae Italiam si- » bi subiecerunt Romani, *penes Reges fuisse imperium*: « quis ergo credat, eumdem Scriptorem alibi (de *Bellis Civ.* Lib. I. p. 412. c.) dicturum fuisse, *ultra quadringentos annos* regibus subiectos fuisse Romanos? Quis, nisi obtrectandi studio plane occaecatus, non videat, non deliraſſe eo loco APPIANUM, quod SCALIGERO (*Canon. Isagog.* Lib. III. p. 346.) dicere placuit; sed pro ἑξήκοντα ὀλυμπιάδας, quod citra ullum dubium scripserat APPIANUS, a festinante quodam librario ἑκατὸν illud, quod in lineis sequentibus bis occurrit, vitiose etiam huc fuisse traductum? Qui si idem error eum quoque Codicem, quo *vetus Interpres* olim usus est, occupaverat; non tamen omnia exemplaria pervasit. Nam in *Augustano* quidem Codice itidem vitiose hic locus expressus est, quod in numero designando minime mirum videri debet; sed, alio errore, pro eodem ἑξήκοντα ibi εἴκοσι legitur.

Libro quarto *de Bellis Civilibus* historiam caedis Ciceronis, quae ad Formianum eius, prope *Caietam*, facta est, enucleate satis exposuit APPIANUS, atque etiam hoc diserte adiecit, (p. 600. a. b.) *sese*, *ut suis oculis quodammodo casum istum* celebratissimi viri (conf. *ibid.* p. 601. b.) *subiiceret*, *ipsum etiam locum eum*, *quo ea caedes patrata est*, *visitasse*. Iam eum in illis *Appiani* verbis, pro KAIHTHN vel KAHTHN (sic enim sine litera *iota* etiam scriptum hoc nomen invenitur in Codice *Diodori Siculi*, Lib. IV. conf. edit. *Wesselingii*, T. I. p. 300. not. *a.*) vitiose legatur

cum in aliorum scriptis, c) tum in GERARDI IO. VOSSII

ΚΑΠΥΗΝ: quis non videat, quam pronus fuerit librariorum lapsus, in proprio nomine praesertim eo minus etiam mirandus, quamque leviſſimus ex ΚΑΗΤΗΝ in ΚΑΠΥΗΝ fuerit transitus? aut quis iam ferat *portentoſam* (ſic enim vere adpellaveris) *SCALIGERI* in illa APPIANI verba obſervationem? quum, *Locum*, inquit, *ubi Cicero interfectus eſt, PLUTARCHUS* Καπιτας *vocat. Neſcio, an* Καΐτας, *vel* Καΐητας *legendum, ut apud EUSEBIUM. APPIANUS ex hac depravata PLUTARCHI lectione divinat, prope Caputam interfectum eſſe.*

Qui ſibi eiusmodi laſciviam in nobilem Scriptorem permiſit; nae is, mirum non eſt, ſi idem, ubi eius auctoris aliquod non nimis forte adcurate dictum ipſi ſtomachanti in manus incidit, illud *portentoſum* eſſe clamavit; ſi, ubi a narratione alterius cuiusdam ſcriptoris, quem defendendum SCALIGER ſuſceperat, paululum diſſentire aliquid, quod APPIANUS habet, viſum eſt, id eo ipſo pro *falſo*, *minimeque audiendo*, declaravit; denique ſi ei interdum uſu veniſſe videtur, ut verbis quibusdam noſtri Auctoris, quum ſanum per ſe ſenſum ſatis plane funderent, contradicendi ſtudio abreptus, eam ſententiam ſubiiceret, in qua confutanda iactare ſe poſſet ipſius oratio. Cuius generis, de quo poſtremo loco dixi, unicum exemplum liceat adiicere. In *Animadverſionibus in Chronologica Euſebii* ad an. MDCCCCXCII. (p. 168. col. a.) haec ſcripſit SCALIGER: *Reges quidam* ὑποφοροι (Romanis) *erant; in quibus Herodem Magnum ponit APPIANUS, ſatis imperite. Nam nunquam Herodes Caeſari tributarius fuit. Hoc ſi verum eſſet, eius clara exſtarent in Joſepho indicia; ex cuius libris palam eſt, Herodem nihil minus, quam ſtipendiarium populi Romani aut tributarium Caeſaris fuiſſe. In eiusmodi non ſemel lapſum APPIANUM deprehendimus. Quare audiendus non eſt.* Eamdem Scriptoris noſtri reprehenſionem paulo deinceps repetit ferox obtrectator, eodem loco, quo *alienorum laborum fucum* lepide, ut ipſi videbatur, APPIANUM nominavit. Iam vero ipſa auctoris verba ſi inſpicias, quae hic confutaſſe ſibi viſus erat SCALIGER; (ſunt autem Libro V. de *Bellis Civil.* p. 715. c. d.) nihil ibi videas *de Herode ſive populi Romani ſtipendiario, ſive Caeſaris tributario.* Nihil amplius, quam hoc, dicit *Appianus:* »M. Antonium, quum in eo eſſet, ut in bellum proficiſceretur Parthicum, pro ea auctoritate, qua apud Senatum valebat, qui, »quidquid ipſe vel effeciſſet, vel effecturus eſſet, ratum fore »declaraverat, *pro lubitu* plures Aſiae principes, & in his Herodem, *Reges* adpellaſſe: *illud autem utique non fecit*, (inquit

Commentariis *de Hiſtoricis Graecis*, itemque de *Arte Hiſto-*

Appianus) »*niſi certam ab eis mercedem pactus*: « ἐπὶ φόροις ἅρα τεταγμένοις. Quod ipſum, mutatis verbis, eâdem ſententiâ, de *Herode* IOSEPHUS tradit, *Antiq. Iudaic.* Lib. XIV. cap. 26. (edit. *Havercampi* cap. XIV. §. 4. Tom. I. pag. 727.) ubi, *Antonium*, dicit, *Herodi operam ſuam in ea re pollicitum eſſe*, τὰ μὲν κατὰ μνήμην τῆς Ἀντιπάτρου ξενίας, τὰ δὲ καὶ ὑπὸ χρημάτων, ὧν αὐτῷ Ἡρώδης ὑπίσχετο δώσειν, εἰ γένοιτο βασιλεύς, καθὼς καὶ πρότερον, ὅτε Τετράρχης ἀπεδέδειχτο: *partim Antipatri recordatione, cuius ipſe uſus fuerat hoſpitio, partim propter pecuniam, quam ei daturum ſe promittebat Herodes, ſi Rex factus eſſet, quemadmodum antea, cum Tetrarcha factus fuerat.* Atque deinceps etiam, in bello Antonii cum Caeſare, pecuniam atque frumentum ad Antonium miſiſſe Herodem, diſcimus ex eodem IOSEPHO, Lib. XV. c. 10. (apud *Havercampum* cap. VI. §. 6. T. I. p. 758.) Neque vero aliena videri debet ſignificatio illa, quam nomini φόροι eo *Appiani* loco convenire diximus; ſimiliter enim, ut hoc utar, in alia quidem re, φόρους ἐρανίζεσθαι παρὰ τῶν μαθητῶν, vulgo etiam dici, pro ἐπὶ μισθῷ, ἐπὶ χρήμασιν διδάσκειν, POLLUX monuit, in *Onomaſtico* Lib. IV. cap. 6. §. 43. Denique ſi vel maxime ita interpretanda nitaris APPIANI verba, *ea conditione, ut ſtipendium vel tributum ſibi penderent*; ne ſic quidem quisquis non admodum fuerit calumniandi cupidus, vel inepti quidpiam vel falſi in illis Scriptoris verbis deprehenderit.

e) CASPAR BARTHIUS, ſicut ipſe a *Ioſepho Scaligero*, admodum etiam tum iuvenis, (cf. BAYLE art. *Barthius*, not. *B.*) maximi factus erat, ac velut divinum in primis ingenium celebratus; ſic ſuo illi praeconi & admiratori hanc videtur referre gratiam voluiſſe, ut, quae illi temere interdum exciderant, ea honoris & officii cauſſa non modo repeteret, ac circumferret, ſed verſibus etiam includeret. Nam quum *alienorum laborum fucum APPIANUM* adpellaſſet SCALIGER, atque alibi (*Can. Iſagog.* Lib. III. p. 335.) monuiſſet ſtudioſos, ut *cum delectu tractarent illum auctorem*; iam BARTHIUS diſtichon iſtud in *Appianum* confecit, quod FABRICIUS in *Biblioth. Gr. adpoſuit*:

Legas, monebo, cautior vagum auctorem;
clepit ſubinde verſa dicta maiorum.

Idem, nullo omnino documento criminationem ſuam confirmare dignatus, atque etiam iniquiſſimo adeo loco, ubi illud haud ſane abſurdum APPIANI de Philoſophorum genere quodam iudicium (ex *Hiſtoria Mithridatica* p. 189.) adlaturus erat,

Digitized by Google

rica, in FABRICII *Bibliotheca Graeca*, *d*) ac tantum non in omnibus denique vel libris eis vel libellis, e quibus notitia aliqua Graecorum Auctorum peti solet, ita confidenter consignata, ut ne audiendi quidem visi sint rari nonnulli, qui ab ea culpa defendere APPIANUM conarentur. *e*)

Nostrum, veluti confecta res & convictus reus esset, *Exscriptoris aliorum Historici* titulo ornavit; (*Adversar.* Lib. II. c. 12. p. 74.) atque iterum alio loco, sed in eodem argumento, *de toto hoc genere*, inquit, *inprimis pulcre APPIANUS; quamquam non negem ex alio quopiam, ut ei solitum.* (*Adversar.* Lib. XLIX. cap. 3. p. 2284.) -- IOANNES RUALDUS, *Animadversione* XX. *in* PLUTARCHUM (ad calcem Tomi I. Edit. Paris. Operum PLUTARCHI p. 99. a.) PLUTARCHI *Compilatorem & in multis Exscriptorem* plane adpellare APPIANUM non dubitavit; & *Animadv.* XXI. p. 101. a. *APPIANUS*, inquit, *PLUTARCHUM syllabatim plerumque amat describere.* -- Eamdem fere sententiam IO. AUG. ERNESTI calculo comprobatam, iam supra vidimus, *Sectione* V. not. *m.*

d) VOSSIUS, *de Historicis Graecis* Lib. II. cap. 13. p. 223. & *de Arte Historica* cap. 22. FABRICIUS, *Bibl. Graec.* Lib. IV. c. 12. T. III. p. 398.

e) Retulit quidem FABRICIUS, loco iam modo citato, aequissimum FREINSHEMII iudicium, qui, in *Notis* ad *Flori* Librum IV. cap. X. §. 4. de auctore Parthici illius Libri loquens, *Exscriptorem Plutarchi* eum vocaverat, *qui Appiani nomine circumfertur; cum Appianus* (inquit) *Plutarchi coaetaneus, ne si voluisset quidem, furta tam insignia potuisset impune facere.* Sed satis esse visum est FABRICIO, si illam FREINSHEMII *suspicionem* (sic eius gravissimi Viri verissimam sententiam adpellat) *miro argumento ac parum solido niti*, diceret. Neque magis audiendus eidem FABRICIO visus est FRANCISCUS BALDUINUS, qui, cum Libro I. de *Institut. Historiae* pag. 87. observasset, *bene multa e Plutarchi Crasso in Appiani Parthicis reperiri; id factum*, coniecerat, *non ab ipso Appiano, qui Plutarchi fuerit aequalis, sed a librariis, ut supplerent aliquam in Appiani commentariis lacunam.* -- Dubitandum saltem etiam atque etiam esse, ulla-ne ratione APPIANO tribui *Parthicus* ille *Liber* posset, monuerat ANDREAS SCHOTTUS, in *Commentario ad* M. SENECAE RHETORIS *Controversiarum Librum II. Controv.* IX. (p. 105. b. Edit. *Paris.* 1613. in fol.) Ubi quum, post PLUTARCHUM in *Crasso*, etiam ad APPIANUM *in Parthicis* provocasset, haec verba

Digitized by Google

III. Iam, quin APPIANUS *Parthicam Romanorum Hiſtoriam* ediderit, dubium vix ullum eſſe poteſt; atque de eo libro iam ſupra a nobis nonnulla commodo loco (*Sectione* III. num. XIII.) dicta ſunt. Sed quod ſi haec, de quo nunc quaerimus, compilatio hac unâ de cauſſâ, quod librario cuidam nomen eidem APPIANI praefigere placuit, pro genuino illo Scriptoris noſtri *Parthico libro* habenda ſit; cum reclamet refrageturque quidquid de toto APPIANI genere conſcribendi hiſtoriam ex reliquis eiusdem Scriptoris libris, deperditorumque librorum fragmentis, compertum habemus: iam valere profecto iubeamus neceſſe eſt omnem Criticam Artem, ac pro meris ſive ſomniis ſive calumniis habeamus quaecumque a Viris doctrinâ ac ſagacitate praeſtantibus de librorum quorumdam ψευδεπιγρά-

adiecit: *Si modo ille Liber* APPIANI *eſt, quod hic ex illo ad verbum transſcriptus ſit.* -- Sed iam multo ante hos omnes, atque etiam prius quam ipſius HENR. STEPHANI Editio APPIANI *Annotationes*que in hunc *Parthicum Librum* lucem vidiſſent, ſatis quidem praeclare, ſed nemine autem praebente, APPIANI noſtri cauſſam defenderat, ac putidum illud *plagii crimen*, nobiliſſimo Scriptori temere impactum, diluerat GUILIELMUS XYLANDER *in Annotationibus in Dionem Caſſium*, Latinitate ab ipſo donatum. Cuius verba ex REIMARI editione DIONIS, Tom. II. p. 1396.) operae pretium fuerit huc transſcribere: »*Augarus* (inquit) a PLUTARCHO *Ariamnes* nominatur: ab »APPIANO *Acbarus*; cum tamen tota narratio (PLUTARCHI) »de Craſſi bello Parthico interituque ad verbum ferme *Appiani* »*Parthico libro* ſit inſerta, non minor ea ſeptem paginis. Quod »cum demirarer animadverſum a me utriusque lectione, in eam »veni cogitationem, *primam ac maiorem partem eius libri, qui* »*fuit de rebus Parthicis ab Appiano conditus, intercidiſſe, ac a* »*quodam alio ex Plutarcho, quantum eius potuit fieri, ſupplе-*»*tum fuiſſe.* Nam profecto etiam haec, quae poſt finem ver»borum *Plutarchi Appiano* intextorum ſequuntur, minime cum »prioribus cohaerent: *deeſt enim omnis Parthica Hiſtoria a morte* »*Craſſi usque ad Ventidii contra Labienum bellum, quam haud* »*dubie diligenter Appianus perſecutus fuerat*, ſed cum antecedentibus periit. Quin immo *reliqua etiam pars iſtius Parthici fere* »*tota ex Antonio Plutarchi eſt deſcripta.* Id, etſi nonnihil alie-

Digitized by Google

φων ac *ſuppoſititiorum*, quos vocamus, ratione, qui celebrium Auctorum nomina mentiantur, paſſim disputata legimus.

IV. Sed quoniam, veluti coniuratione quadam contra APPIANUM facta, ita ſolet a plerisque plagii crimen eidem impingi, ut non ſolum *Plutarchum*, ſed etiam alios ſaepe Scriptores, compilaſſe dicatur; de toto hoc genere accuſationis video mihi eſſe hoc loco dicendum. Ac primo quidem, *Utrum omnino*, quum nono ab Urbe condita ſeculo univerſam Romanam hiſtoriam, inde ab origine gentis, conſcribendam ſuſceperit APPIANUS, *earum rerum memoriam, quae ante ipſius aetatem geſta ſunt, ex aliis Scriptoribus repetere debuerit, nec ne?* de hoc quidem nulla, opinor, quaeſtio eſſe debet. *f*) *Quibus auctoribus uſus ſit?* &

» num ab hoc loco, tamen obiter commemorare volui; ut, ſi » qui haec noſtra legentes fortaſſis eamdem rem animadvertiſ» ſent, quid nos ſentiremus, intelligerent, rudioresque dubita» tione aliquantum ſolverentur. «

Cui aequiſſimae pariter veriſſimaeque XYLANDRI ſententiae qui e recentioris memoriae ſcriptoribus acceſſerit, ſatis mirari non poſſum, me neminem adhuc praeter unum doctiſſimum DIONIS CASSII Editorem HERM. SAM. REIMARUM, reperiſſe. Is autem, poſtquam Xylandri verba, modo a nobis adpoſita, & ipſe in *Praefatione ad Dionem* ſuum, §. 14. pag. XXII. retulerat, haec ſubiecit: *Vere omnino haec Xylander; nec dubito, illum alium, qui haec Plutarchi mutilo Appiani Parthico inſerſit, fuiſſe librarium, qui ut vendere magis integrum Appianum poſſet carius, ex furto lucrum captarit.* In quo caetera perſpecte ac praeclare REIMARUS; hoc minus adcurate, quod, Plutarchi narrationem *mutilo Appiani Parthico inſertam* eſſe, dixit. Non enim *mutilus Appiani Parthicus*, ſed *nullus*, ad nos pervenit: neque *inſerta Appiani Parthico libro* ſunt illa, quae PLUTARCHO debentur; ſed ex his ipſis tota farrago *ſuppoſititii* illius *Parthici libri* corraſa atque confuta eſt, praeter *Exordium* libelli, quod nimirum ex ipſius APPIANI *Syriaco libro* (pag. 120.) repetivit Compilator.

f) Sunt tamen inter APPIANI obtrectatores, qui ita incaute hunc noſtrum Scriptorem accuſare ſuſtinuerint, tamquam id ipſum, *quod ex aliis Scriptoribus Hiſtoriam ſuam hauſerit*, ei vitio ver-

Digitized by Google

qua ratione ſcripta horum in uſum converterit ſuum? id unice in hac tota disputatione quaeri cum ratione poteſt. Ac ad priorem quidem quod adtinet quaeſtionem, *de Auctoribus, quos ſecutus ſit Scriptor noſter;* non nimis facile ad eam reſpoderi poſſe, fateor: quoniam & parciſſimus APPIANUS eſt in citandis ſuorum Auctorum nominibus, & longe etiam maxima pars antiquiorum illorum Scriptorum, e quibus citra dubium ſua hauſit Noſter, iam dudum periit, ut, quibusnam prae caeteris uſus ſit, aut quid ex eorum quoque deſumſerit, fruſtra hodie quaeras. Quod ſi tamen ex iis Auctoribus, quos ab APPIANO per occaſionem & velut in transitu advocatos reperimus, de caeteris licet coniecturam capere; ſumma cum veri ſpecie colligetur, nonniſi probatiſſimos quosque ac vetuſtiſſimos Auctores, &, quoad fieri poterat, coaevos, in quaque hiſtoriae ſuae parte eſſe ſecutum. Atque id eo facilius, quisquis non praeoccupatum contra APPIANI auctoritatem ad hanc quaeſtionem animum adtulerit, ſibi perſuadebit; ſi illam ab omni adfectatione alienam gravitatem, illamque ſine humilitate ſimplicitatem, quae univerſam APPIANI ſcriptionem nobilitant, conſideraverit; ſi porro illam ſummae veracitatis laudem cogitaverit, Scriptori noſtro a PHOTIO tributam; denique ſi ſecum reputaverit, quam parum ſit probabile, hominem literatum, qui primum Romae ſub ipſo Imperatorum conſpectu in cauſſis agendis fuiſſet verſatus, qui dein in nobiliſſima provincia, eademque literarum ſtudiis eo ipſo tempore florentiſſima, ad praecipuam dignitatem fuiſſet evectus, tam parum parcere ſuae famae voluiſſe, ut, cum & nominis celebritate *g*) & muneris dignitate inter caeteros

tere voluiſſent. E quorum numero ne VOSSIUS quidem exemtus eſt, qui (*de Hiſtoricis Graecis* l. c.) ita ſcribit: *APPIANUM Scaliger vocat* alienorum laborum fucum. *Sane, multum Polybio debere, ac Plutarchum ad verbum exſcribere ſolitum, viri docti iam diu obſervarunt.*

g) Certe nominis ſui celebritatem (minime quidem glorioſe, ſed

conſpicuus eſſet, nunc miſeram aliquam compilationem, ex proximo quoque & mediocri ac minoris ordinis ſcriptore, aut etiam ex nobilioris cuiusdam Scriptoris, ſibi coaevi, paulo ante in lucem editis voluminibus conſarcinatam, pro *Hiſtoriarum Romanarum Corpore*, cuius ipſe ſe *Auctorem* profiteretur, in vulgus edere non dubitaſſet.

V. Ac ne temere a nobis, aut nimio quodam in noſtrum Scriptorem ſtudio, dictum hoc videatur, quod *de Auctoribus ab* APPIANO *citatis* monuimus; haud abs re erit, ſeriem eorum Scriptorum, quotquot ab eodem citatos enotavimus, hoc loco adponere. Eos autem pro temporum ordine, in quorum temporum rebus geſtis illi ſcriptores ab APPIANO citantur, collocare, commodiſſimum putavimus.

1. Igitur primum in *Celtico libro*, ubi Dorſonis cuiusdam, ſacerdotis, tam felicem quam religioſam audaciam commemoravit, qui, obſeſſo a Gallis Capitolio, ſolenne ſacrificium in Veſtae templo peracturus, ex arce per medios hoſtes illaeſus transierat, peractisque ſacris in Capitolium rurſus incolumis evaſerat; ibi eius rei, cuius nullam apud alium ſcriptorem, qui hodie ſuperſit, mentionem factam reperio, CASSIUM auctorem teſtatus eſt Appianus. *h*) Is autem ſine dubio LUCIUS ille CASSIUS HEMINA eſt, quem A. GELLIUS quoque ſimpliciter CASSII nomine citavit. *i*) Is *quatuor libros Annalium* ediderat; &, quamquam longe poſterior fuit iis temporibus ad quorum

ingenua illa ſimplicitate, quae in univerſo APPIANI opere perlucet) in fine *Prooemii* cum aliis verbis, tum his ipſis indicare videtur, quum, *quinam autem ſim*, inquit, *harum hiſtoriarum ſcriptor, multis notum eſt.* Τίς δὲ ὢν ταῦτα συνέγραψα, πολλοὶ μὲν ἴσασι . . καὶ ἐν τῷ σπουδῇ καὶ τὰ λοιπὰ μαθεῖν, ἔστι μοι καὶ περὶ τούτου συγγραφή. *Caetera autem qui volet* (de vita mea) *ſcire, ex Commentariis noſtris de eo argumento ſcriptis poterit cognoſcere.*

h) In *Excerpto* apud VALESIUM p. 557. ubi in Ms. quidem Καύσιος erat; quod recte utique a VALESIO in Κάσσιος mutatum videtur.

i) *Noct. Attic.* Lib. XVII. c. 21.

hiſtoriam eo loco teſtis ab APPIANO advocatur, quum ineunte ſeptimo demum poſt Urbem conditam ſeculo vixerit, erat tamen *ex antiquiſſimis*, qui exſtarent, rerum Romanarum ſcriptoribus, eoque nomine & a PLINIO plus ſemel laudatus eſt, qui etiam diſertis verbis *vetuſtiſſimum auctorem Annalium* eumdem adpellavit. *k*)

2. De Alexandri M. rebus in Aſia minori geſtis, HIERONYMUM teſtem citavit. *l*) Is HIERONYMUS CARDIANUS eſt, qui proxime poſt Alexandri aetatem vixit, atque *Rerum ab Alexandro itemque a proximis eius ſucceſſoribus geſtarum Hiſtoriam* conſcripſerat. *m*)

3. In *Annibalica* Hiſtoria Q. FABIUM PICTOREM, aequalem temporibus illis ſcriptorem, citavit; quem eumdem LIVIUS in eadem hiſtoria potiſſimum habuerat auctorem. *n*)

4. In hiſtoria excidii Carthaginis, POLYBIUM adfert auctorem. *o*)

5. In belli Numantini hiſtoria P. RUTILIUM RUFUM teſtem advocat, qui eo ipſo bello tribunus ſub Conſule Scipione militaverat. *p*) Is autem doctus vir, & graecis literis eruditus, Romanam hiſtoriam Graeco ſermone conſcriptam ediderat. *q*)

k) PLINIUS *Hiſt. Nat.* Lib. XIII. c. XIII. §. 27. & Lib. XXIX. c. 1. §. 6. Conf. VOSSIUM, *de Hiſtoricis Latinis* L. I. c. 7. p. 26 ſq.

l) Libro *Mithridat.* p. 175. d.

m) De eo vide VOSSIUM de *Hiſt. Graecis* L. I. cap. XI. p. 65 ſq. De aetate autem ac perſona eiusdem HIERONYMI praecipue conſtat ex DIODORO SICULO, Lib. XVIII. c. 42. & 50. & Lib. XIX. cap. 44.

n) APPIAN. *Annibal.* p. 329. b. LIVIUS Lib. XXII. cap. 7. & alibi. Eius FABII fidem hiſtoricam contra POLYBII reprehenſiones peculiari commentatione defendit IOH. AUG. ERNESTI, quae *Opuſculis* eius *Philologicis Criticis*, p. 102 ſqq. inſerta eſt.

o) Libro *Punico* p. 82. e.

p) APPIAN. *Hiſt. Iberica* p. 305. b. & ex eo SUIDAS v. Ῥουτίλιος.

q) Vide VOSSIUM *de Hiſt. Lat.* Lib. I. cap. 9. p. 37 ſq. & *de Hiſtor. Graec.* Lib. I. cap. 22. p. 141 ſq.

Digitized by Google

6. In rerum *Gallicarum* hiſtoria, ubi de Caeſaris bello cum Helvetiis ac Tigurinis agit Scriptor noſter, eodem loco cladis illius ignominiaeque mentionem facit, quam ſuperiore tempore A. U. 647. a Tigurinis paſſus erat L. Caſſius Conſul; ibique, quamquam & ipſe CAESAR in *Commentariis* ſuis *r*) eiusdem rei eodem loco mentionem fecerat, tamen alium antiquiorem atque coaevum, ut videtur, teſtem advocare maluit. In *Epitoma* certe libri *Celtici*, quae hodie ſupereſt, *s*) ubi de illa clade agitur, ad CLAUDII PAULI *Annales* (Παύλου τοῦ Κλαυδίου χρονικὰς Συντάξεις) provocatum videmus. Sed cum non niſi ſingulari quadam oblata occaſione Scriptorem aliquem nominatim advocare ſoleat Appianus, ſuſpicor, etiam eo loco ad ſingulare aliquod eius caſus momentum, (forte, ubi de numero caeſorum captorumque, de quo diſſentirent ſcriptores, agebatur; *t*) aut quod ille Annalium Scriptor in eo ipſo bello *u*) militaſſet) eum Auctorem fuiſſe a Noſtro citatum; *x*) temere autem ab *Epitomatore* nomen illius Scriptoris, omiſſa ea re ad quam teſtimonio eiusdem uſus APPIANUS erat, *Epitomae* huic fuiſſe inſertum.

7. De Caeſaris cum Craſſo atque Pompeio conſpiratione verba faciens APPIANUS, *Scriptorem eius temporis VAR-*

r) CAESAR *de Bell. Gall.* Lib. I. c. 12.

s) In APPIANI Operibus, pag. 755. c. d. eiusdem, quae ſemper a nobis citatur, *Henr. Stephani* Editionis.

t) Sic ubi de *numero caeſorum* agitur in pugna Pharſalica, auctorem citat APPIANUS *Aſinium Pollionem*, qui ei pugnae inter Caeſaris duces interfuerat. De caeſorum autem numero in aliis praeliis, CLAUDII *Annales* a LIVIO duobus locis citatos legimus. Lib. XXV. 39. & XXXIII. 10.

u) Simili occaſione RUTILIUM RUFUM citaverat Noſter; neque dispari admodum ratione POLYBIUM & Q. FABIUM PICTOREM; locis iam modo ad *num.* 3. 4. 5. indicatis.

x) CLAUDII quidem, *Annalium Auctoris*, cum apud alios Scriptores, tum ſaepe apud LIVIUM, ac ſaepiſſime apud A. GELLIUM mentio occurrit. Mihique *Livium* cum *A. Gellio* conferenti, vix dubium videbatur, quin CLAUDIUS ille, quem *Livius* citavit,

RONEM, ait, *Hiſtoriam illius conſpirationis ſingulari libro eſſe complexum, eumque Librum inſcripſiſſe*, Τριχάρανον, id eſt, *Tria Capita*, vel *Monſtrum Triceps*, aut, quemadmodum GELENIUS interpretatus eſt, *Tricipitinam Hiſtoriam.* y) Is autem Scriptor, utrum ſit doctiſſimus ille Romanorum

quem is *Graecos Acilianos Libros ſecutum eſſe, eosdemque ex Graeco in Latinum ſermonem vertiſſe* ait, (Lib. XXV. cap. 39. XXXV. 14.) quem eumdem idem *Livius* plus ſemel una cum *Valerio Antiate*, alio Annalium Scriptore, nominat, (Lib. XXV. 39. XXXIII. 10.) non diverſus habendus ſit ab eo, quem *A. Gellius* aliàs ſimpliciter CLAUDIUM, aliàs *Q.* CLAUDIUM, tum CLAUDIUM QUADRIGARIUM, aut etiam nude QUADRIGARIUM vocat; quem eumdem idem *A. Gellius* quoque cum *Valerio Antiate* ſaepius coniungit; & quem VELLEIUS PATERC. Lib. II. cap. 9. ſicut & RUTILIUM, & eumdem, quem modo nominavi, *Valerium Antiatem*, *Siſennae* aequalem fecit. *Siſenna* autem, (quod ibidem *Velleius* teſtatur) bello Numantino (circa A. U. 620.) iuvenis fuerat; *ſed opus belli Civilis Syllani poſt aliquot annos* (ſcil. quam illud civile bellum compoſitum fuerat) *ab eo ſeniore editum eſt.* Ex quo colligitur, CLAUDIUM hunc eo ipſo tempore vixiſſe, in cuius temporis hiſtoria eum ab *Appiano* teſtem videmus fuiſſe advocatum. Quoniam autem ſuperiori ſeculo vixerat ACILIUS, eius *Annales* CLAUDIUS non modo in Latinum ſermonem transtuliſſe, ſed ad ſua etiam tempora continuaſſe, intelligendus eſt.

Neque vero lectio ea, quae in APPIANI exemplaribus vulgo exhibetur, cum *Claudius Paulus*, non *Quadrigarius* aut *Q. Claudius*, vocatur, nobis obſtare debet, quo minus eumdem *Q. Claudium Quadrigarium* ibi ab Appiano indicatum fuiſſe putemus. Sed quoniam caeteroquin non ſolum inter tot auctores Annalium Romanorum, quorum nobis nomina conſervata ſunt, nulla omnino *Claudii PAULI* mentio fit, ſed etiam in tota *Claudia* gente nullus umquam *PAULUS* cognomine memoratur; vix dubitandum eſt, quin corruptum *PAULI* illud nomen debeat haberi: quod etiam VOSSIUS iudicavit de *Hiſtoricis Latinis* Lib. I. c. 10. pag. 44. *Auguſtanus* quidem Codex hoc loco nullum adiumentum poteſt adferre, quum tota haec *Celtici* Libri *Epitoma* in eo Codice non contineatur. Videndum interim erit, an, pro Παύλῳ τῷ Κλαυδίῳ, in aliis Codicibus Κοίντῳ Κλαυδίῳ, aut alia quaedam huius loci emendatio, inveniatur.

y) *Civil.* II. p. 433. a. Καί τις αὐτῶν τήνδε τὴν συμφοσύτην συγ-

ac πολυγραφώτατος M. TERENTIUS VARRO, an ab hoc diverſus, quum a nemine alio ex Veteribus ſcriptionis eius mentionem factam reperiam, in medio relinquo. Illud moneo, in *Auguſtano* Codice, quemadmodum & in Impreſſis, hoc loco *Varronis* illius nomen per literam B, Βάῤῥων, ſcriptum eſſe; quum alibi, ubi *Varronis Hiſtorici ac Philoſophi*, inter eos qui tertio Triumviratu in proſcriptorum numero fuerunt, mentionem fecit Noſter, recte Οὐάῤῥων exhibeatur. ζ)

γραφεὺς, ΒΑΡΡΩΝ, ἐν βιβλίῳ περιλαβὼν ἐπίγραψε ΤΡΙΚΑΡΑΝΟΝ. -- Τρικάρανον autem aliàs etiam nomen olim fuiſſe invenitur Caſtelli cuiusdam in Argivorum ditione ſiti; quod caſtellum Demoſthenis aetate ſibi vindicabant Phliaſii. Vide DEMOSTENEM ὑπὲρ Μεγαλοπολιτῶν, Tom. I. *Edit.* REISKII pag. 206. & HARPOCRATIONEM ac SUIDAM in ea *voce*. Quare quamquam vulgo Κάρηνον, *caput*, per η literam in media voce ſcribitur; tamen nihil opus erat, ſcripturam illius nominis apud Noſtrum h. l. in Τρικάρηνον mutare; quod fecit FREINSHEMIUS in *Supplementis Livianis*, Lib. CIII. cap. 74. quem ſecutus eſt REIMARUS ad DIONEM CASSIUM Tom. I. pag. 146. not. 218. *Freinshemius* autem hac etiam parte aliter cepiſſe *Appiani* verba, quam illa per ſe ſonant, videtur, quod totam iſtam *Varronis* ſcriptionem pro mera *Satyra* habuerit, non pro *Hiſtoria* illius Triumviratus, cui hiſtoriae mordax ille titulus fuerit inſcriptus. *Tricipitem illam conſpirationem*, inquit, *velut infernale monſtrum Cerbereo rictu abſorbentem omnia, M. VARRONIS SATYRA, ſub titulo* TRICARENI, *perſtrinxit.*

ζ) Οὐάῤῥων δὲ ἦν φιλόσοφός τε καὶ ἱστορίας συγγραφεὺς, ἐστρατευμένος τε καλῶς καὶ ἐστρατηγηκώς. κ. τ. λ. De *Bellis Civil.* Lib. IV. p. 616. e. Similiter aliorum *Varronum* nomen apud Noſtrum Οὐάῤῥων, non Βάῤῥων, ſcriptum reperitur. Vide *Librum Hiſp.* pag. 286. b. & *Annibalicum*, pag. 323. c. Neque vero ſilentio praeterire debeo, a *Vaticano* Codice, e quo *Appianum* transtulit CANDIDUS, hoc noſtro loco nomen illud *Varronis* plane abfuiſſe. *Interpres* certe, omiſſo Scriptoris nomine, quem dicit Appianus, his verbis locum iſtum latine reddidit: *Horum igitur conſenſum uno libro reprehendens quidam, Tricipitium eos nuncupavit.* pag. 90. edit. *Mogunt.* 1522. nec aliter antiqua *Veneta* habet anni 1477. Sed & ſaepe aliàs in illo *Romano* Codice unam aut alteram vocem, nonnumquam etiam plures quasdam, fuiſſe

Digitized by Google

8. In earum rerum hiſtoria, quae ſunt a Caeſare in Gallia geſtae, ipſius etiam *Caeſaris Ephemeridas* ſive *Diarium rerum a ſe geſtarum* citavit APPIANUS. *aa*) Quod ſi in eodem argumento a PLUTARCHO quoque ad id, quod ea de re ſcripſerit CAESAR, provocatum videmus; ſatis ta-

omiſſas, quantum quidem ex *latina Verſione* colligere licet, (quae ſatis preſſe Graeca verba, quatenus eorum vim perceperat Interpres, ſequi ſolet) comperimus: atque hoc ipſo quidem loco non ſolum nomen Βάῤῥων vel Οὐάῤῥων, ſed etiam alterum, *συγγραφεὺς*, ſimul cum eo abfuiſſe, ex eadem verſione facile patet. -- [* Verumtamen, quum ſatis ſit notum, nomina Romana a *Vau* literâ incipientia, apud Graecos ſcriptores, pro libriariorum lubitu, promiſcue ita ſcribi ſolere, ut pro latina litera *Vau* modo diphthongum *ου* ponant, modo *β* conſonam, quam fere ut *F* pronunciare vulgo conſueverant; iſta in ſcribendo *Varronis* nomine differentia haud ſatis utique cauſſae eſt, cur dubitemus quin eo loco, de quo quaerimus, eumdem *Marcum Terentium Varronem*, cuius nomen alibi Οὐάῤῥων ſcribitur, dixerit Appianus. Neque vero adeo incommoda videtur doctiſſimi FREINSHEMII interpretatio huius loci, ſupra a nobis relata: quam eamdem etiam in Adnotationibus noſtris ad Appiani librum II. de Bellis Civilibus, cap. 9. probavimus. Satis quidem illi interpretationi convenit cum his, quae alioqui de VARRONIS ſcriptis novimus.]

aa) In *Excerpto* ex APPIANI libro *Celtico*, num. XVI. apud URSINUM p. 353 ſq. [* in noſtra editione Appiani, n. XVIII. T. I. Part. I. p. 90.] de internecino illo bello agitur, quo Uſipetes & Tenchtheros, Germanas gentes, proſtravit exſtirpavitque Caeſar; qua clade *quadraginta* non χιλιάδες, quod vitioſe apud URSINUM legitur, ſed *quadraginta μυριάδες* hoſtium perierunt; quemadmodum recte (cum Caeſare *de Bello Gall.* IV. 15. & Plutarcho in *Caeſare* pag. 718. f.) exhibetur in *Epitome* Libri *Celtici*, operibus APPIANI inſerta p. 756. c. In eodem igitur *Fragmento*, poſtquam de gentium illarum Germanicarum clade dixerat, ſic pergit APPIANUS: Κάτωνά τε ἐν Ῥώμῃ, τῶν τις συγγραφέων φησὶ, γνώμην ἐσηνεγκεῖν, ἐκδοῦναι τοῖς βαρβάροις τὸν Καίσαρα, ὡς ἀναγὶς ἔργον ἐς διαπρεσβευσαμένους ἐργασάμενον. Ὁ δὲ Καῖσαρ, ἐν ταῖς ἰδίαις Ἀναγραφαῖς τῶν ἐφημέρων ἔργων, φησὶ, τοὺς Οὐσιπέτας καὶ Τεγχρίας, κελευσμένους ἐκπεσεῖν ἐς τὰ ἀρχαῖα σφῶν, φάναι, πρέσβεις ἐς τοὺς

men evidenter ex PLUTARCHI cum APPIANO collatione adparet, Noſtrum Chaeronenſi ſcriptori, neque hoc ipſo loco, neque in tota Caeſaris Gallica Hiſtoria, quidquam debere. *bb*) Vellem, aeque facile alia difficultas expediri

ἐκβαλόντας Σουήβους ἀπιστα λχίναι, καὶ τὰς ἀποκρίσεις αὐτῶν ἀναμίγνυ. Καὶ ἐν ταῖσδε ταῖς διαπρεσβεύσεσιν ἐπιθέσθαι κ. τ. λ. Romae Catonem, ait non nemo ex illius temporis Scriptoribus, (is Scriptor *Tanuſius Geminus* eſt, cuius nomen male in *Plutarchi* Exemplaribus Ταυρίσιος legitur,) *cenſuiſſe, barbaris tradendum eſſe Caeſarem, ut qui nefarium facinus adverſus eos, qui per legationes cum ipſo egiſſent, patraſſet. CAESAR* autem *ipſe in* DIARIO RERUM A SE GESTARUM *ſcribit, Uſipetes atque Tenchtheros, quum ab eo iuſſi eſſent priſtinas ſuas ſedes ocyus repetere, dixiſſe: ſe ad Suevos, a quibus patria pulſi fuiſſent, miſiſſe legatos, eorumque reſponſa exſpectare: atque inter eas legationes de improviſo in Romanos impetum feciſſe.*

bb) Scilicet quoniam in eadem hiſtoria PLUTARCHUS quoque (pag. 718. f.) ad id provocavit, quod ea de re CAESAR *ἐν ταῖς Ἐφημερίσι* ſcripſerit; poſſit fortaſſe aliquis, praeiudicio eorum imbutus, qui e *Plutarcho* plurima ſua hauſiſſe *Appianum* ſtatuerunt, ſibi perſuadere, etiam hanc ipſam, de qua agimus, verborum *Caeſaris* citationem eidem *Plutarcho* debere Noſtrum. Sed, praeterquam quod plane precario, ac nulla omnino ratione, illud affirmaretur; quoniam, quae via ad *Caeſaris* ſcripta *Plutarcho* patuerat, eadem ſane *Appiano* non minus erat aperta; quisquis ſive hunc ipſum, de quo quaerimus, Scriptoris noſtri locum, ſive reliqua *Fragmenta*, ex eadem *Gallica* APPIANI Hiſtoria (num. XIII. XIV. ac XV. apud *Urſinum*) voluerit cum *Plutarcho* conferre, is facile ſe ipſe docere poterit, ne poſſe quidem ea, quae *Appianus* habet, e *Plutarcho* eſſe depromta: ſiquidem in quoque illorum *Fragmentorum* mentionem factam rerum quarumdam aut momentorum deprehendimus, quarum rerum ne veſtigium quidem apud *Plutarchum* occurrit. Quo pertinent ea, quae hoc ipſo loco reſpondiſſe Caeſari Germanorum legati referuntur; tum, quae *Fragm. XV.* de colloquio Arioviſti cum Caeſare; quae *Fragm. XIV.* de occaſione qua Arioviſtus petiverat, ut a populo Romano rex & amicus adpellaretur; denique quae *Fragm. XIII.* de muro a Caeſare ad intercludendum iter Helvetiis exſtructo, itemque de legatione Helvetiorum ad Caeſarem, relatum ab APPIANO legimus.

Digitized by Google

poſſet, qua premi eumdem hunc APPIANI locum, in quo verſamur, video. *cc*)

cc) Scilicet illud importuni habere idem *Appiani* locus, in quo verſamur, videri poteſt, quod, quae verba ex *ipſius Caeſaris ſcripto ſe adtuliſſe* diſerte profeſſus eſt APPIANUS, ea in *Commentariis* quidem *de Bello Gallico*, eo loco, ubi de eadem legatione Germanicarum nationum agit CAESAR, fruſtra quaerantur. Nam pro eo, quod apud *Appianum* eſt, *Uſipetes atque Tenchtheros Caeſari dixiſſe, ſe ad Suevos, a quibus domibus pulſi fuiſſent, miſiſſe legatos, eorumque reſponſa exſpectare*, apud CAESAREM, de *Bello Gall.* Lib. IV. cap. XI. ad verbum ſic legimus: *Petebant* (Uſipetes atque Tenchtheri) *ſibi poteſtatem faceret* (Caeſar) *in Ubios legatos mittendi; quorum ſi Principes ac Senatus ſibi iureiurando fidem feciſſent, ea conditione, quae a Caeſare ferretur, ſe uſuros oſtendebant: ad has res conficiendas ſibi tridui ſpatium daret.*

Iam hoc quidem non magnopere movere nos debet, quod in rerum, de quibus ibi agitur, expoſitione a *Caeſare* discrepare videatur *Appianus*; neque eo nomine reprehendendum Scriptorem noſtrum, putaverim. Primum enim, quin potuerit atque etiam debuerit adcuratus Scriptor, non modo integra manente, ſed etiam poſtulante, rei veritate, nonnumquam ab eo pauliſper recedere, quod in *Commentariis* ſuis ipſe *Caeſar* retulit; id quidem non facile dubitabit is, qui iudicium illud, per ſe etiam ſatis probabile, cogitaverit, quod de eorumdem *Commentariorum* ratione auctoritateque, ab ASINIO POLLIONE latum, apud SUETONIUM legimus, in *Iulio*, cap. LVI. Atque ubi de eiusmodi re praeſertim agebatur, quae magnam Caeſari invidiam conflaverat, eumque in criminationem laeſae iuris gentium ſanctitatis adduxerat; ibi eo facilius fieri potuit, ut ſui quodammodo purgandi cauſſa nonnulla paulo aliter, quam res habuerat, ipſe exponeret: quemadmodum etiam initio eius *Fragmenti*, de quo hoc loco agimus, haud obſcure innuit Noſter, ſe in ea re non nimis fidere *Caeſaris* narrationi, *ſibique* (alios procul dubio probatos Scriptores de eadem re conferenti) *videri, poſtquam illam de equitatu Caeſaris victoriam retuliſſent Germani, tum primum demum legatos ad Caeſarem miſiſſe; Caeſarem vero, retentis legatis, eos eſſe adortum.* Sed in ea parte narrationis, ubi quaeritur, *Caeſari quid dixerint legati Germanorum?* ne pugnare quidem tam directa fronte cum *Caeſare Appiano* putandus eſt, quin conciliari inter ſe ambo Scriptores,

Digitized by Google

9. In pugnae Pharſalicae deſcriptione, ubi de ſtrategemate quodam agitur, quo in ea pugna uſus erat Pom-

ſi id tanti videatur, facili quadam ratione poſſint. Nam in legationibus illis, quas plus ſemel intra paucos dies ad Caeſarem miſerunt Germanicae illae nationes, facile intelligitur, varios ſermones ultro citroque cecidiſſe; Uſipetesque illos ac Tenchtheros, ut ſolet eſſe leve & ad quodvis momentum mobile barbarorum gentium ingenium, Caeſari urgenti, neque moram patienti, iam hoc, iam illud reſpondere potuiſſe. Adeoque, ex illis colloquiis alia pars a *Caeſare* in *Commentariis* ſuis relata eſſe, poſſit putari; alia ab alio Scriptore commemorata, quem ſecutus *Appianus* fuerit. Quemadmodum etiam CASSIUS DIO, in eadem hiſtoria, nihil memorat *de ſedibus in Ubiorum ditione capiendis*; ſed diſerte ſcribit: »Germanos illos Caeſari promiſiſſe, *ſe in patriam ſuam regreſſuros*, adeoque inducias petiviſſe. « ἐθελοντὰ οἴκαδε ἐπανήξειν ὑπέσχοντο, καὶ διαλαχεῖν ἠτήσαντο. Lib. XXXIX. c. 47. Tom. I. Edit. *Reimari.* pag. 215.

Sed nimirum, quum ea potiſſimum ſit loci huius, in quo verſamur, difficultas, quod verba illa, quae tamquam a *Caeſare* perſcripta retulit *Appianus*, apud eumdem *Caeſarem* hodie non legantur; de hoc genere diſſenſionis, quae inter eos Scriptores intercedere videtur, quid tandem dicemus? -- Continuone arguemus Noſtrum, quod *negligentius* inſpexerit eum, quem citavit, auctorem? Humani aliquid pati APPIANUM potuiſſe, minime equidem negaverim. Sed, quatenus commoda ratio ſupereſt, illius negligentiae culpâ adcuratum caeteroquin Scriptorem liberandi, nimis dura atque praepropera fuerit illa ſententia, in iſtam partem pronunciata. An igitur ex alio quodam Scriptore, in quem negligentiae illius accuſatio recidat, iſtam *Caeſaris* citationem in ſuam Hiſtoriam transtuliſſe, dicamus APPIANUM? Facere illud quidem, citra gravem magnopere culpam, potuerat: ſed non diſſimulandum eſt, ita ſcribere Noſtrum, tamquam ipſe ſuis oculis id quod ex *Caeſaris Ephemeridibus* refert, in eo libro, ad quem provocat, legiſſet. Quid ergo? An vitioſe hunc totum locum expreſſum fuiſſe dicemus in eo Codice, e quo *Fragmenta* haec *Appiani* edidit *Urſinus*? Scatuiſſe ſane vitiis Codicem illum, cum ex vitioſis illis lectionibus adparet, quas ſatis frequentes in impreſſis exemplaribus reliquit Editor; tum vero ex eiusdem Editoris *Notis*, quibus ille docet, infinitis in locis vitioſas msti lectiones a ſe

Digitized by Google

peius, ex *Epistolis* Caesaris locum quemdam adfert Appianus; quo, eiusdem rei mentionem faciens Caesar,

esse emendatas. In quo quidem illud non optime fecit *Ursinus*, quod saepius omiserit docere lectorem suum, quid fuerit quod in Codice scriptum reperisset: quod eo magis etiam dolendum est, quoniam eumdem Editorem, quum vitiis purgare Graeca, quae edebat, vellet, nonnumquam probas etiam Codicis lectiones loco movisse, aut, quae in vitio quidem cubabant, ea cum aliis aeque vitiosis commutasse, deprehendimus. Ac hoc quidem eodem loco, de quo quaerimus, mendo non caruerat Codex mstus; quum in illo, pro ἐς τοὺς ἐκβαλόντας Σουήβους, scriptum fuerit, ἐς τὰς ἐκβαλόντας νήβους, quod diserte ad eum locum monitum ab Editore legimus. Sed, quamquam forte de alia medicina eidem loco adferenda cogitare aliquis posset; equidem, ut dicam quod sentio, *Ursini* illam huius loci emendationem eo minus dubito ratam habere, quod & per se simplicissima, & *Dionis Cassii* verbis, paulo ante adlatis, quodammodo confirmata videatur.

Mihi, controversum istum Scriptoris nostri locum cum eo Fragmento conferenti, quod ex eiusdem Caesaris *Ephemeride* conceptissimis verbis adduxit Servius in *Libro XI. Aeneidos* v. 743. (vide *Fragmenta* Caesaris, plerisque editionibus *Commentariorum* eiusdem subiecta, & confer Rualdum, *Observat. XXI. in Plutarchum*) cuius Fragmenti similiter nullum vestigium in his, qui ad nos pervenerunt, Caesaris *Commentariis* conspicitur; etiam atque etiam considerandum visum est, satisne certum atque evictum sit, (quod quidem praecise contendit *Davisius* ad illud Caesaris *Fragmentum*, in edit. *Oudendorpii* p. 998 sq.) nullam umquam Caesaris scriptionem, diversam ab eiusdem *Commentariis*, exstitisse, quae *Ephemeris* vel *Diarium* fuerit inscripta, quam & *Servius*, & *Appianus*, & fortasse etiam *Plutarchus* ob oculos habuerint? Qualis si exstitit *Caesaris Ephemeris*, mirum esse non debet, si nonnulla ei inserta fuerint, quae a *Commentariis*, qui hodie supersunt, absint; aut si alia paulo aliter, quam in iisdem *Commentariis*, fuerint exposita. Observare etiam licet, Appianum, ubi *Augusti* Caesaris *Commentarios* citat, (vide infra, num. XII.) eos non Ἐφημερίδας aut ἰδίας ἀναγραφὰς τῶν ἐφημέρων ἔργων sed Ὑπομνήματα, vocare; quemadmodum & apud Strabonem (Lib. IV. ineunte, pag. 177.) superioris Caesaris *Commentarios* eodem nomine Ὑπομνημάτων citatos legimus.

ſuum de illo Pompeii inſtituto iudicium interpoſuerat, ſimile ei iudicio, quod ab eodem Caeſare in *Commentariis de Bello Civili* repetitum hodieque legimus. *dd*) In eodem

dd) Suis praedixerat Pompeius, ut ad Caeſaris incurſum, neque ſe loco moverent, neque tela in hoſtem coniicerent, ſed impetum hoſtium praetentis haſtis exciperent. Καὶ τόδε τινὲς (inquit APPIANUS *de Bellis Civil.* Lib. II. pag. 477. b. c.) αὐτοῦ τὸ στρατήγημα ἐπαινοῦσιν, ὡς ἄριστον ἐν περιϊκυκλώσει. Ὁ δὲ Καῖσαρ ἐν ταῖς Ἐπιστολαῖς καταμέμφεται· τάς τε γὰρ πλαγὰς ὑπὸ τῆς βολῆς εὐτονωτέρας γίγνεσθαι, καὶ τοὺς ἄνδρας ὑπὸ τοῦ δρόμου πρεσβυμοτέρους. ἑστῶτας δ' ἀποψύχεσθαί τε, καὶ τοῖς ἐπιθέουσιν εὐβλήτους (ſic enim cum Codice *Auguſt.* pro vitioſo εὐκλήτους legendum eſſe, facile patet) δι' ἀτρεμίαν, οἷα σκοποὺς, εἶναι. ὃ καὶ τότε γενέσθαι· τὸ γὰρ δίκαιον τέλος σὺν αὐτῷ περιδραμεῖν τὰ λαιὰ τοῦ Πομπηΐου, ἔρημα ἱππέων γενόμενα· καὶ πανταχόθεν ἀτρεμοῦντας ἐς τὰ πλευρὰ ἐσαϊσσοντίζειν· μέχρι δορυβουμένους ἐμπεσόντας βίᾳ τρέψασθαι, καὶ τῆς νίκης κατάρξαι. Quae quidem adcurate ſatis cum eis conſentiunt, quae apud CAESAREM *de Bello Civili*, III. 92. leguntur; excepto quod apud APPIANUM, in fine loci adducti, *initium victoriae a decima legione ortum* dicat Caeſar; quam laudem in Commentariis ſuis l. c. cap. 94. illis ſex cohortibus tribuit, diverſis a decima legione, quas contra equitatum Pompeii in quarta acie locaverat. (Confer CAESAREM, *ibid.* cap. 89. PLUTARCHUM, in *Pompeio*, pag. 656. a. & in *Caeſare*, pag. 728. f. & 729. a. APPIANUM, p. 475. c.) Sed nimirum ne ad *Commentarios* quidem CAESARIS, verum ad *Epiſtolas* eiusdem; videmus provocaſſe APPIANUM. Neque vero mirum videri debet, (quemadmodum paulo ante iam monuimus) ſi vel in *Ephemeridibus* ſuis, vel in *Epiſtolis*, nonnulla aliter retulit Caeſar, quam in Commentariis ab eodem perſcripta leguntur; neque culpandus Appianus, ſi in rerum a Caeſare geſtarum narratione, quas ipſe Caeſar in *Commentariis* illis ſuis expoſuit, eorumdem Commentariorum fidem neque unice, & ne praecipue quidem, eſt ſecutus.

Exſtitiſſe autem, ac in vulgus editas fuiſſe, CAESARIS *EPISTOLAS*, cum *ad Senatum*, tum *ad Familiares*, SUETONIUS teſtis eſt, cap. LVI. Qui quamquam dicit, ad Familiares *de domeſticis* potiſſimum *rebus* ſcripſiſſe Caeſarem; tamen facile cogitari poteſt, atque etiam ex Fragmentis, quae ſuperſunt, illarum Epiſtolarum patet, rerum a Caeſare publice geſtarum haud raro quoque fuiſſe in eisdem mentionem factam. Quod autem lau-

Digitized by Google

argumento rurſus a PLUTARCHO ad idem Caeſaris iudicium provocatum videmus; ſed ita, ut nè hoc quidem loco cum ulla veri ſpecie ſuſpicari aliquis poſſit, ab APPIANO PLUTARCHUM eſſe compilatum; atque ut dubium eſſe nullum debeat, quin Scriptor noſter, quae de ea re ex CAESARE retulit, ea ex ipſo fonte, ad quem provocavit, in ſuam hiſtoriam derivarit. *ee*)

10. In eiusdem Pharſalicae pugnae deſcriptione diſertis etiam verbis teſtatum facit APPIANUS, *ſe PLURIUM SCRIPTORUM, & quidem ROMANORUM, id eſt, LATINORUM, narrationes inter ſe contuliſſe; atque eos ſecutum eſſe Auctores, quos prae caeteris fide digniſſimos iudicaſſet.* *ff*)

dem illam facti victoriae initii, quam laudem in *Literis* ad Familiares, de nuperrime geſta, decumanis ſuis tribuerat, deinde in *Commentariis* ſuis, ab his in alios transtulerit CAESAR; eius rei probabilis etiam cauſſa intelligitur: nimirum quod eo tempore, quo Commentarios ſuos edidit, poſt excitatam illam, ab eadem decima potiſſimum legione, cum acerbis in Caeſarem comminationibus ſeditionem, (de qua vide Appianum, *Civil.* Lib. II. pag. 485 - 487.) alienatum ab illa legione, quam olim reliquis omnibus ſemper praetulerat, animum haberet. Ac neſcio, an in ipſa ea ratione, qua ſex illas cohortes laudat Caeſar, (de *Bello Civ.* III. 94.) aliquid etiam adfectationis quodammodo perluceat; tamquam ſi contrariam aliquam ſententiam, qua laus ea alii parti aciei Caeſarianae tribui conſueviſſet, datâ operâ e mentibus legentium voluiſſet evellere.

ee) Apud PLUTARCHUM in *Caeſare* pag. 729. b. & in *Pompeio* p. 656. c. eadem Caeſaris ſententia, exceptâ poſteriori parte, quae apud APPIANUM eſt, neſcio, ex *Commentariis*, an ex *Epiſtolis* CAESARIS, relata legitur. Eadem autem PLUTARCHI loca, & quidquid ille de Pharſalica pugna, ſive in *Caeſaris Vita*, ſive in *Pompeii*, retulit, qui cum his contulerit, quae de eodem argumento late & enucleate APPIANUS habet; nae is valde ridiculus fit, ſi quidquam in tota illa Hiſtoriae ſuae parte e PLUTARCHO, non dico *transſcripſiſſe APPIANUM*, ſed vel *quoquo modo in uſum ſuum convertiſſe*, pertinacius adfirmet.

ff) Noſter, de *Bellis Civil.* Lib. II. pag. 471. c. Στρατιὰ δ' ἦν, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, inquit, πολλῶν ἀμφίλογα εἰπόντων, ἑπομένῳ μάλι-

11. Ex *illis* autem *Latinis Scriptoribus*, quos ob oculos in ea parte Hiſtoriae ſuae habuit APPIANUS, non minimum tribuiſſe videtur ASINIO POLLIONI; quem quidem ſub finem eiusdem deſcriptionis Pharſalicae pugnae nominatim etiam teſtem advocavit. *gg*) Is nobiliſſimus Scriptor, certatim plurimis ſuae proximaeque aetatis ſcriptoribus laudatus, *hh*) *Hiſtoriarum Romanarum* ſeptemdecim, ut SUIDAS *ii*) refert, Libros reliquerat; in quibus civile illud Caeſaris Pompeiique bellum, in quo ipſe ſub Caeſaris auſpiciis ordines duxerat, in primis adcurate erat expoſitum. Quo minus mirum videri debet, ſi huius pariter Auctoris citationem, quem prae caeteris & conſulere & ſequi debebant quicumque aetate poſteriores iisdem de rebus ſcri-

στα Ῥωμαίων τοῖς τὰ πιθανώτατα γράφουσι, κ. τ. λ. Et mox iterum *ibid. d. e.* Ὧδε μὲν τοῖς τὰ πιθανώτατα λέγουσι δοκεῖ, μυριάδας ἑπτὰ ἀνδρῶν Ἰταλῶν συμπεσεῖν ἀλλήλοις ἐς μάχην. οἱ δ' ὀλιγωτέρους ἑξακισμυρίων φασίν. (ſic recte Codex *Auguſt.* pro οἱ δ' ὀλιγωτέρους, ἑξακισμυρίους φασίν.) οἱ δ' ὑπερπαίροντες, τεσσαράκοντα μυριάδας γενέσθαι λέγουσι. In quibus poſtremis verbis, quoniam in toto eo loco non niſi *de Italicis* quaeritur, qui utraque in acie ſteterint; neſcio, an vitioſum ſit τεσσαράκοντα μυριάδας, qui numerus vix cuiquam in mentem poterat venire; videndumque puto, an pro τεσσαράκοντα forte τεσσαρακαίδεκα, aut alium quempiam numerum, ponere debuerint librarii.

gg) *Civil.* II. pag. 479. b. c. Οἱ μὲν ἐπαίροντες φασὶ, δυσμυρίους ἐπὶ πεντακισχιλίοις· (ſic cum Cod. *Auguſt.* legendum eſt, pro ἀμφὶ πενταχισχιλίους.) Ἀσίνιος δὲ Πολλίων, ὑπὸ Καίσαρι τῆς μάχης ἐκείνης στρατηγῶν, ἑξακισχιλίους ἀναγράφει νεκροὺς εὑρεθῆναι τῶν Πομπηίου. Cum quo loco conferatur ille, quem paulo admodum ante, *nota ff.* citavimus.

hh) Hunc PLINIUS *Hiſt. Nat.* Lib. VII. cap. XXX. §. 31. *principem oratorem & civem* vocavit. Eidem VIRGILIUS *Eclogam quartam*, & HORATIUS *Oden I.* Libri II. inſcripſit, quo loco & eiusdem *Hiſtoriam belli civilis* celebravit poëta. Alia de eodem Auctore teſtimonia, quorum pleni ſunt tantum non omnes eius ſeculi ſcriptores, ex parte collegit VOSSIUS *de Hiſtor. Latin.* Lib. I. cap. XVII. pag. 80 ſqq.

ii) SUIDAS, voce Ἀσίνιος.

Digitized by Google

bere adgreſſi ſunt, communem cum PLUTARCHO habet APPIANUS. *kk*)

kk) PLUTARCHUS in *Pompeio* p. 657. e. Στρατιώτας δὲ μόνους ἑξακισχιλίους φησὶ πεσεῖν Ἀσίνιος Πολλίων, μεμαχημένος ἐκείνην τὴν μάχην μετὰ Καίσαρος. Idem, in *Caeſare* p. 730. a. b. ad eamdem POLLIONIS auctoritatem provocans, ſimul ex eodem auctore alium locum refert: quem locum quum a SUETONIO pariter (in *Iulio* cap. 30.) adlatum videamus; neſcio, cur non eadem ratione hi, qui *Plutarchi* Compilatorem *Appianum* faciunt, etiam SUETONIUM eam citationem PLUTARCHO ſuffuratum eſſe, contendant? Sed deſinant hi tandem, PLUTARCHUM nobis obgannire; atque videant, Polygraphus ille, cuius ſcrinia compilaſſe APPIANUM calumniantur, ſatisne ipſe per ſe cognitum habuerit aut etiam umquam inſpexerit eum, quem citavit, auctorem? ASINIUM hunc POLLIONEM dico, quem idem ille PLUTARCHUS, qui diſertis verbis hunc auctorem teſtatus eſt, adeo ignoraſſe videtur, ut ne quidem, quo ſermone conſcripta fuerit eiusdem Hiſtoria, compertum habuerit. Nam *latine* conſcriptas fuiſſe *ASINII Hiſtorias*, cum ex aliis rationibus conſtat, tum ex diſerto VALERII MAXIMI teſtimonio, qui eo ipſo loco, (Lib. VIII. c. XIII. in *Externis* §. 4.) ubi *ad tertium Librum Hiſtoriarum* eius provocat, ASINIUM POLLIONEM *non minimam partem Romani ſtyli* adpellat: cui accedit Fragmentum illud, ex eiusdem *ASINII Hiſtoriis* a M. SENECA, *Suaſoriâ VI.* (p. 41. Ed. *Pariſ.* 1613.) relatum, *quo loco nihil eſſe in Hiſtoriis eius diſertius*, idem SENECA adfirmavit. Atqui *Plutarchus*, ubi illa Caeſaris verba ex *Aſinio Pollione* retulit, quae ex eodem apud *Suetonium* adlata legimus, ita pergit: Ταῦτά φησι Πολλίων Ἀσίνιος τὰ ῥήματα ῥωμαϊστὶ μὲν διαφθέγξασθαι τὸν Καίσαρα παρὰ τὸν τότε καιρὸν, ἑλληνιστὶ δ' ὑπ' αὐτοῦ γεγράφθαι. *Haec verba, ASINIUS POLLIO memorat, Latine Caeſarem eo tempore dixiſſe, quae ipſe* (Aſinius Pollio) *Graece ſcripſit.*

Cogitanti mihi quidem, ecqua ratione defendi PLUTARCHUS poſſet, (nollem enim is ego videri, qui ex inconſiderata *Plutarchi* accuſatione gloriam aliquam *Appiano* captem) venit in mentem, poſſe fortaſſe locum illum, ſive prava ſcioli cuiusdam ſedulitate, ſive librariorum hallucinatione, eſſe corruptum; ut duo illa verba ῥωμαϊστὶ & ἑλληνιστὶ commutare invicem ſedes ſuas fuerint coactae. Adeoque videndum putaveram, an hoc dixerit PLUTARCHUS: *Aſinium Pollionem Caeſaris illa verba Latine retuliſſe; ſed ſimul hoc adnotaſſe, a Caeſare Graeco*

Digitized by Google

12. Denique & AUGUSTI CAESARIS Ὑπομνήματα, id eſt, *Commentarios de Vitâ ſuâ*, quorum *tredecim Libros* edi-

ſermone ea fuiſſe prolata. Ac fieri quidem potuerat, ut *Graece* illa verba, in Graeca potiſſimum regione tum verſans, eloqueretur Caeſar; quemadmodum etiam in ipſa Romana curia *Graece* adlocutus eſſe M. Brutum perhibetur, καὶ σὺ εἶ ἐκεῖνον, καὶ σὺ τέκνον? referente SUETONIO, cap. 82. Sed huic rationi refragari omnino videtur ipſe *Suetonius*, qui idem illud Caeſaris dictum, de quo quaerimus, ex eodem *Pollione* non ſolum *Latine* retulit, ſed etiam ita, ut diſerte indicare videatur, todidem plane verbis, adeoque & *Latino ſermone*, illud fuiſſe a Caeſare pronunciatum. Sic enim SUETONIUS: *Quod probabilius*, inquit, *facit* ASINIUS POLLIO, - - *hoc eum ad verbum dixiſſe referens: Hoc voluerunt: tantis rebus geſtis C. Caeſar condemnatus eſſem*, &c. Supereſt ergo, ut dicamus, numquam inſpectam a PLUTARCHO, ac non niſi ex Graeco quodam Scriptore cognitam fuiſſe eam, ad quam provocavit, POLLIONIS *Romanam Hiſtoriam*: niſi forte *Graeca* quadam *verſione* eius Libri uſus ſit, eaque deceptus, eodem ſermone librum iſtum ab auctore fuiſſe conſcriptum, putaverit. Atque hoc, quod de Graeca POLLIONIS verſione dixi, probabile quodammodo ex SUIDA fieri poſſit videri; quum is (voce Πωλίων) *Aſinium* quemdam *Pollionem*, genere *Trallianum*, adeoque Graecum hominem, praeter alia, *ſcripſiſſe*, dicit, περὶ τοῦ Ἐμφυλίου τῆς Ῥώμης πολέμου, ὃν ἐπολέμησαν Καίσαρ τε καὶ Πομπήϊος. In qua relatione ſi quid veri ineſſet; cogitare poſſemus, ab illo *Tralliano Pollione* Librum eum, quem *Romanus* ASINIUS POLLIO ediderat, in Graecam linguam fuiſſe converſum; atque Graecum illum interpretem a PLUTARCHO cum ipſo Romano auctore fuiſſe permutatum. -- Sed fateor, quae de *Tralliano* illo *Pollione* apud SUIDAM leguntur, ita eſſe turbata ac ſuſpecta omnia, ut vix ullam eorum rationem habere debeamus. Nam (ut ea taceam quae ſunt a VOSSIO, de *Hiſt. Graecis* Lib. I. cap. 24. p. 154. & a KÜSTERO de erroribus eius loci adnotata) etiam illud turbatum atque contortum eſſe, quod eodem loco *de Timagenis ſchola* dicitur, *in qua Trallianus ille Pollio Timageni ſucceſſerit*, facile ſibi perſuadebit quisquis ea conferre voluerit, quae de eodem *Timagene* atque *ASINIO POLLIONE Romano* apud L. SENECAM *de Ira* Lib. III. cap. 23. atque apud M. SENECAM *Controv. XXXIV.* Lib. V. (pag. 217. *extr.*) leguntur.

Digitized by Google

derat, teſte SUETONIO, Cap. LXXXV. vel *Memoriam Vitae ſuae*, (quo nomine eosdem libros SERVIUS citavit in *Virgilii Eclogam* IX. *v.* 47.) aliquoties ab APPIANO noſtro laudatos deprehendimus. Primum quidem in hiſtoria praelii Philippenſis, quo Brutum Caſſiumque Antonius ac Caeſar debellarunt; ubi, *Caeſarem*, ait APPIANUS, (*Civil.* IV. p. 653. e.) *in Commentariis ſuis hoc retuliſſe, ſe, quamquam morbo laboraret, ſomnio admonitum, caviſſe ne eo die in caſtris maneret. ll*) Tum vero in *Illyrico Libro* eorumdem *Commentariorum* his verbis mentionem fecit: *Ac ne in Commentariis quidem poſterioris Caeſaris, cui Auguſto cognomen fuit, de vetuſtioribus Pannoniorum rebus quidquam reperi. . . . Non enim aliorum res geſtas, ſed ſuas dumtaxat, memoriae prodidit. mm*) Ad eosdem CAESARIS OCTAVIANI *Commentarios* provocavit Noſter, ubi, relato Octaviani ad Peruſiam cum Lucio Antonio colloquio, *Haec fere*, ait, *fuerunt utriusque verba, quoad ea quidem ex* (*Caeſaris*) *Commentariis, e quibus ſententiam eorum, quae utrimque dicta ſunt, cognovi, in huius* (Graeci) *ſermonis vim proprietatemque licuit transferre. nn*) Qui locus etiam eo potiſſimum notandus eſt, quod ex eodem diſcamus, *Orationes* eas, quibus hinc inde, non nimis tamen frequenter, *Hiſtoriam* APPIANI ornatam deprehendimus, non tam ex ſcriptoris ingenio fictas, quam ex earum rerum temporumque, de quibus agitur, monumentis ductas eſſe. Ac profecto, ſicut nemo

ll) In eodem argumento, ne quid diſſimulem, iterum apud PLUTARCHUM eosdem *Auguſti Caeſaris* Commentarios citatos video. Sed, utrum oculis ſuis umquam eos Commentarios uſurpaverit, nec-ne *Chaeronenſis ſcriptor*, non habeo dicere: *Alexandrinum* noſtrum diligenter illos ſtudioſeque perlegiſſe, id quidem, quum duobus locis (vide not. *mm.* & praeſertim not. *nn.*) ipſe teſtatum faciat vir honeſtiſſimus ac minime glorioſus, non dubitare, opinor, debebimus.

mm) Graeca apud HOESCHELIUM, p. 8 *med.* ſic leguntur: Ἐν δὲ τοῖς Ὑπομνήμασι τοῦ δευτέρου Καίσαρος, τοῦ κληθέντος καὶ Σεβαστοῦ, παλαιότερον μὲν οὐδὲν, οὐδ' ἐν τοῖσδε περὶ Παιόνων εὗρον. . . . . Οὐ γὰρ ἀλλοτρίας πράξεις ὁ Σεβαστὸς, ἀλλὰ τὰς ἑαυτοῦ συτε-

aequus & intelligens Scriptoris noſtri lector fuerit, quin cum voluptate videat, admirabili quadam ratione, ac raro in primis pro ea aetate, qua ſcripſit APPIANUS, exemplo, in illis *Orationibus* omnem germanae ac masculae eloquentiae vim eſſe coniunctam, argumentorumque pondera non magis nervoſâ gravitate, quam lucidâ ſimplicitate, expoſita; ſic etiam puto fore neminem, qui quidquam in iisdem *Orationibus* dixerit reperiri, quod oſtentandi magis ingenii cauſſa ſcriptum, quam ad erudiendos lectores & ad adcuratam eis ac fructuoſam rerum earum, de quibus agitur, notitiam adferendam adcommodatum debeat videri.

VI. In horum itaque Scriptorum numero, quos Auctores habuiſſe APPIANUM ex mentione eorumdem diſcimus, non ſane oſtentationis cauſſâ, ſed velut aliud agendo, ubi res poſcebat, a Scriptore noſtro iniectâ; in illorum igitur numero Auctorum nullus eſt, quin vel aequalis fuerit eis temporibus, atque etiam ipſe interfuerit rebus eis, de quibus agitur, vel ſaltem aetate proximus & antiquiſſimus auctor fuerit, qui eis de rebus ſcripſiſſet. Ac poſſet quidem, ſi id nunc agere nobis vacaret, longa dehinc diſputatio inſtitui de reliquis, quos, praeter hos ab ipſo nominatim citatos, ſecutus eſſe Auctores APPIANUS putandus ſit. *oo*) Sed illud quidem & altioris indaginis eſt, neque ad eam rem, cuius cauſſâ potiſſimum haec tota pars

γραφεν, *Latina*, ex P. CANDIDI verſione, exhibentur in *Henr. Stephani edit.* pag. 762. col. b.

nn) Haec ſine dubio ſententia eſt verborum APPIANI, quae *Civil.* lib. V. p. 697. d. in hunc modum leguntur: Ταῦτα μὲν ἐλεξαν ἀλλήλοις, ὡς ἐκ τῶν Ὑπομνημάτων ἦν ἐς τὸ δυνατὸν τῇδε τῆς φωνῆς μεταβαλεῖν, τεκμαιρομένῳ (ſcil. ἐξ αὐτῶν τῶν Ὑπομνημάτων) τῆς γνώμης τῶν λελεγμένων. Quae verba, ad ſenſum, non male hoc modo expreſſiſſe GELENIUS videtur: *Haec propemodum utriusque verba in commentariis eorum temporum invenio.* Vetus Interpres, ſuo more: *Haec inter ſe locuti ſunt, velut e commentariis quibusdam referentes elata voce, quoad licuit, quae dicturi fuerant ex animo prius meditati.* p. 370. ed. Mogunt.

oo) De THUCYDIDE, quem *Civil.* II. p. 452. b. citatum legimus,

disputationis noſtrae a nobis ſuscepta eſt, magnopere neceſſarium. Ex his ipſis interim, de quibus iam dictum eſt, Scriptoribus probabili admodum ratione *de Auctorum ſelectu*, quos in conſcribendis Hiſtoriis ſuis ſecutus fuerit APPIANUS, iudicium ferre licebit. Illud unum praeterea hoc loco, ubi de *Auctoribus quos habuerit* APPIANUS quaerimus, ad conficiendum id, cuius cauſſâ hanc inſtituimus quaeſtionem, debebimus conſiderare: *IN ILLIS APPIANI LIBRIS, DE QUIBUS, QUIN GENUINI SINT, NULLUM DUBIUM EST, clara-ne veſtigia aliqua deprehendantur, e quibus adpareat, etiam PLUTARCHO Auctore in ſuis Hiſtoriis uſum eſſe Noſtrum?* Ac non iam hoc quaero, *ad verbum-ne ac ſyllabatim*, quod a quibusdam Scriptori noſtro obiectum vidimus, PLUTARCHUM, nusquam laudato eius nomine,

nihil dixi; quia ad huius auctoritatem non ſane in aliqua hiſtoriae Romanae parte provocavit Noſter, ſed eo loco, ubi non niſi de uſu nominis, *Epidamni*, agebatur; quo nomine a THUCYDIDE eamdem urbem adpellatam refert Noſter, quam Romani vulgo *DYRRACHIUM* vocabant. -- *Fragmentum XXVIII.* atque *XXIX.* apud URSINUM, p. 370 ſq. quae ex *Numidico APPIANI Libro* decerpta ſunt, ex *SALLUSTII Iugurthâ* ſumta eſſe, ac partim ad verbum fere ex eodem translata, monuit *Urſinus*, in *Notis* ad ea Fragmenta pag. 125 ſq. Quod quemadmodum minime male ab *Urſino* obſervatum videbitur ei, qui cum *Fragm. XXVIII. SALLUSTII Iugurtham* cap. 102. & cum *Fragm. XXIX.* eumdem *ibid.* cap. 103. 105. & 108. contulerit; ſic nemo facile fuerit, qui male in ea re APPIANUM feciſſe, aut non ſatis probatum auctorem ſecutum eſſe, dicat. Sed ex ipſo Fragmento XVIII. tum vero maxime ex alio eiusdem *Numidici* Libri *Excerpto*, quod apud VALESIUM p. 561. his verbis legitur: Ὅτι Μέτελλος Βαγαίων ἀνήρει τὴν βουλὴν ὅλην, κ. τ. λ. (collato *Salluſtio* l. c. cap. 69.) ſatis adparet, non unum *Salluſtium* in ea parte *Hiſtoriarum* ſuarum auctorem habuiſſe *Appianum*. -- Caeterum de *Thucydide* atque *Salluſtio* non abs re fuerit, hoc loco adferre, quae CAELIUS SECUNDUS CURIO, cum *Appianum* a GELENIO *Latinitate donatum* ederet, in *Epiſtola Dedicatoria* opportune adnotavit; cum, *Certum eſt*, inquit, *APPIANUM Thucydidis ac Salluſtii ſilum & rationem ſibi propoſuiſſe: atque utriusque religioſam dictionem, immortalemque velocitatem, imitari voluiſſe.*

Digitized by Google

in ſuorum librorum aliquo exſcripſerit APPIANUS? Quod quidem ſi oſtendi poſſet; fateor, me non videre, quo pacto, qui id ſibi permiſerit, *plagii crimine* poſſet abſolvi: quamquam, ſi modo non puerili quadam ratione id feciſſe, ſi ita callide PLUTARCHI verba ſuis intexuiſſe, deprehenderetur APPIANUS, ut apte ſaltem cohaererent omnia, neque nimis facile diſcerni ab APPIANI ſtylo poſſent panni aliunde adſuti; tum ſane plurimum adhuc abeſſe huiusmodi genus plagii videri deberet ab eo perquam puerili inſtituto, quo illud *Parthici Libri* monſtrum in lucem editum videmus. Sed nimirum hanc de PLUTARCHO quaeſtionem, *utrum eo Auctore uſus ſit ALEXANDRINUS noſter?* ita a nobis moveri intelligitur, ut, ſi *unius Plutarchi auctoritatem ſubinde in Hiſtoriis ſuis ſecutus eſſe* deprehen-

Ex T. LIVIO multa paſſim deſcripſiſſe *Appianum* contendit DUKERUS, ad Livii librum XXXVI. cap. 42. (Edit. *Drakenb.* Tom. IV. p. 1090.) ubi, cum emendationem quamdam auctoris ſui propoſuiſſet DUKERUS, *Confirmat*, inquit, *hanc coniecturam Appianus, qui ſine dubio hoc quoque, ut alia, ex Livio deſcripſit.* Ac non vereor, ne magnam virorum doctorum reprehenſionem incurſurus foret *Appianus*, ſi quam plurima ex *Patavinis* illis voluminibus in ſuas *Hiſtorias* transtuliſſe deprehenderetur. Sed, verum ſi quaeras, in vetuſtioribus rebus (qualis ea fuit, de qua ibi agitur, quae bello adverſus Antiochum Man. Acilio Cos. A. U. 563. geſta eſt,) quae *Livianae* narrationi conſentientia habet *Appianus*, ea non continuo ex ipſius *Livii* voluminibus, ſed ex iisdem potius, aut conſentientibus cum his, e quibus ſua *Livius* hauſerat, *Annalibus illorum temporum*, de quibus agitur, hauſiſſe putandus eſt: quemadmodum etiam, ubi diſſentit a *Patavino* Scriptore *Alexandrinus* noſter, non hunc continuo erroris condemnandum perſpecte cenſuit eruditus *Livii* Editor, *ARN. DRAKENBORCHIUS*; ſed in eis rebus potius exiſtimandum eſſe, monuit, *alios Annales LIVIUM, alios APPIANUM eſſe ſecutum*; (*Drakenb.* ad *Livium* libr. XXXVII. cap. 30. §. 1. Tom. V. pag. 65. & ad libr. eumd. cap. 40. §. 8. pag. 87.) atque etiam alibi, (ad lib. XXXVIII. cap. 37. §. 6. Tom. V. pag. 229.) ubi cum *Livio* pugnare videbatur *Appianus*, conciliare inter ſe duos Scriptores idem *Drakenborchius* haud infelici conatu tentavit.

datur APPIANUS, pro *mediocri admodum* & exiguae auctoritatis Scriptore habeam atque ipse denunciem Noſtrum; qui, cum e fonte haurire licuiſſet, proximo quoque rivo fuiſſet contentus; atque ut porro, ſi in iis rebus, quae ex eiusdem PLUTARCHI auctoritate in Hiſtorias ſuas transtuliſſe APPIANUS deprehendatur, *ne nomen quidem Scriptoris, SIBI AEQUALIS, cui ſua debuerit, laudavit*, non minus ultro equidem ſim conceſſurus, recte *alienorum laborum fucum* fuiſſe a viris doctis adpellatum.

VII. Iam vero conſentaneum videri debebat, ut hi, qui, e *PLUTARCHO plurima ſua, vel ad verbum deſcripſiſſe APPIANUM, vel ſaltem in ſuum uſum convertiſſe*, non deſinunt clamare, exemplis nonnullis ſatis claris atque planis accuſationem illam ſuam confirmarent. At aſſidue equidem ea exempla atque teſtimonia apud accuſatores Scriptoris huius requirens; non ſine ſumma admiratione, univerſos, cognovi, adeo confeſſum ſeſe reum habere, exiſtimaſſe, ut ne verbum quidem, ſive confirmandae accuſationis cauſſa, ſive convincendi rei, adiiciendum putarint. Nimirum omnes id ipſum, quod primum omnium in quaeſtionem dubitationemque adduci debebat, pro confecto atque indubitato ſumſerant, *Parthicum illum Librum ſatis ſuperque plagii arguere convincereque APPIANUM.* Quo poſito, iam ſatis argumenti iisdem videbatur, ſi qua in re narratio eiusdem in reliqua Hiſtoria cum eis, quae de eadem re PLUTARCHUS habet, quodammodo conſentiret; ut non amplius dubitandum eſſe iudicarent, quin in ea re PLUTARCHO auctore uſus fuerit APPIANUS. Quod genus argumentandi, atque mira ſane ratio quaeſtionem hanc *de PLAGIO, cuius reus agebatur APPIANUS*, iudicandi, quum mihi in eos magis iudices convenire videretur, qui inſontem reum incognitâ & indictâ cauſſâ condemnare ſecum decreviſſent, quam in hos, qui ſine ira & ſtudio, ſic ut ratio & ius & aequitas poſtularet, quaeſtionem illam inſtituerent; coepi ipſe cum APPIANO PLUTARCHUM eis in locis, quibus de eisdem rebus ambo ſcripto-

Digitized by Google

res agunt, ſedulo conferre. Ac fieri quidem poteſt, ut fallar, ut nondum ſingula ſatis adcurate inſpexerim penſitarimque; ſed mihi ad hunc quidem diem, non modo lineam nullam, quam e *Plutarcho deſcripſiſſe* convinci APPIANUS poſſit; ſed ne unicum quidem APPIANI locum, ex quam plurimis, quos ſtudioſe conquiſivi, deprehendere contigit, de quo cum aliqua rationis aut veri ſpecie adfirmari contendique poſſit, eum locum ex PLUTARCHO ab APPIANO in ſuam Hiſtoriam eſſe translatum, aut in ea re PLUTARCHI auctoritatem unice ſecutum eſſe Noſtrum. Quare tantisper, donec nobis contrarium planis atque perſpicuis documentis fuerit demonſtratum, hoc pro *certo atque perſpecto* ſumere, ex communis iuris praeſcripto, licebit: *In illis APPIANI libris, de quibus, quin genuini ſint, nullum dubium eſt, veſtigium nullum deprehendi, ex quo adpareat, aut certa quadam ratione confirmari poſſit, PLUTARCHO auctore usquam in ſuis Hiſtoriis uſum eſſe APPIANUM.*

VIII. Haec cum ſint *de Auctoribus* dicta, quos in conſcribendis Hiſtoriis ſuis APPIANUS adhibuerit; nunc, quae *de Ratione, qua horum ſcripta in uſum converterit ſuum*, monenda ſuperſunt, ea paucis, quatenus ad id de quo quaeritur ſufficiat, expediemus. Nimirum, quod ſi ex probatis illis & antiquis Romanae hiſtoriae fontibus, e quibus ſua hauſiſſe tantisper putandus erit APPIANUS, dum contrarium fuerit oſtenſum, longiora ſubinde loca ad verbum deſcripſiſſe deprehenderetur; ſi id commoda quadam ratione fecit, ſi luculento ordine, atque ita, ut apte cuncta cohaereant, res quasque digeſſit; non ſane ob eam rem *FUCUS alienorum laborum*, per vituperium, vocari merebatur; ſed *cum melliferae* potius *aviculae* ingenua ac ſolerti & laudabili *aſſiduitate* conferenda Scriptoris noſtri *induſtria* videri debebat. Ac, quod nomina eorum Auctorum, quos excerpſit, non in quaque Hiſtoriarum ſuarum particula ſigillatim & adcurate adſcripſerit; id nos quidem, quippe noſtro quodam incommodo factum, qui ſcire averemus, quid ex quoque auctore deſumtum fuiſſet, dolere poſſe-

Digitized by Google

mus: neque tamen idcirco culpandus magnopere APPIANUS fuerat futurus, nedum *plagii* arguendus; quippe qui ipse in *Praefatione* Operis sui non aliud sibi meritum tribuit, nisi id ipsum, quod illas rerum Romanarum Historias, ab aliis permultis, tam Graecis, quam Latinis scriptoribus expositas, in hunc potissimum ordinem, qui ipsi peculiarem aliquam & commoditatem & suavitatem utilitatemque videbatur Lectori adlaturus, digesserit. Atque ipsam illam admirabilem APPIANI artem, quam in ordinanda digerendaque ampliſſima universae Historiae Romanae materia demonstravit, luculentissimamque rationem, qua modicis quibusdam voluminibus infinitum paene argumentum inclusit, quisquis considerare ac paulo aequiore animo aestimare voluerit; nae is, dubium non est, quin, si vel omnes illi Auctores, e quibus suum opus congessit APPIANUS, integri etiamnum nostris in manibus versarentur, nihilo secius iudicaturus esset, singularem quamdam gratiam ab omnibus Romanae historiae studiosis Scriptorem nostrum commeruisse.

IX. Iam vero, quod in antiquioribus Scriptoribus, sine reprehensione ac citra plagii culpam, facere potuerat APPIANUS, id eum ne in his quidem sibi permisisse facile ostendi potest. Nam primum, quum in eorum Auctorum numero, quibus APPIANUS usus est, POLYBIUS fuerit, de cuius Historiis magna pars ad nostram aetatem pervenit; (e quo eodem Scriptore Noster, si quidem ei solenne fuisset ex suis auctoribus maiores quasdam minoresve lacinias, non laudato auctoris nomine, suis historiis intexere, eadem ratione vel in primis multa in sua transferre scrinia debuerat;) ex eodem igitur POLYBIO *nihil quidquam* in ulla Historiarum suarum parte *ad verbum descripsisse* ALEXANDRINUS noster deprehenditur. Tum vero, quod ad eos APPIANI *Auctores* adiner, quorum ad nos monumenta non pervenerunt; in illis non magis ei placuisse *rationem eam*, quae ei exprobrari solet, *ad verbum alios describendi*, neque eam rationem usquam ab hoc Scriptore, in iis quidem Li-

Digitized by Google

bris, qui vere ei tribuuntur, esse adhibitam; id quidem unumquemque studiosum eius lectorem ipse *stylus dictionisque ac narrationis totius forma ac color* satis superque poterat condocere. Nam quod si variorum Auctorum varium stylum ac dicendi habitum suae immiscuisset intexuissetque narrationi; fieri plane non potuerat, quin simile quidpiam eius rei APPIANO accidisset quam de sua scriptione ZONARAS fatetur, cum in *Praefatione Annalium* suorum: *Dictionem*, inquit, *esse variam, nec per omnia sui similem, nemo miretur; aut culpet orationem, aut me eius auctorem. Cum enim historiam ex variis Scriptoribus, veluti stipem, colligere me oporteat; in multis, illorum & dictione & compositione utendum erit.* (*Pag.* 6. *edit. Paris.*) Atqui APPIANI stylus, dictionisque color & habitus, sicuti *suus* est Scriptori nostro *atque proprius*; quem quidem stylum a PLUTARCHO praesertim minime ei necesse erat mutuare, neque cum huius genere dicendi commutatum vel ipse APPIANUS voluisset, vel APPIANI lectores magnopere cupere debebant; sic, in omnibus Historiarum ipsius partibus, atque etiam in deperditorum Librorum Fragmentis, ita *aequabilis* ac per omnia, quoad rerum varietas tulit, *similis sui* deprehenditur, ut in iis quidem Libris, qui nemine dubitante APPIANUM auctorem habent, adtento cuivis lectori non possit non adparere, nihil usquam alieni, nihil in quo ille nativus atque proprius APPIANI dicendi color desideretur, esse admixtum.

X. Hisce, *de Fontibus, e quibus sua hausit APPIANUS*, itemque *de ratione, qua suis usus est Auctoribus*, praemissis; iam, ad evincendum luceque clarius patefaciendum id, cuius caussâ potissimum illa a nobis praeparata sunt, (scilicet, *a cuiuslibet potius sive inepti Scioli temeritate, sive Librarii lucro inhiantis libidine, quam a gravissimi Scriptoris nostri erudita innocentissimaque manu, PARTHICI illius LIBRI COMPILATIONEM esse profectam*,) nihil aliud denique supereſt, nisi ut ipsum illum libellum, cuius ob flagitium immerito APPIANO plagii crimen impactum est, propius quo-

dammodo cognoſcendum Lectoribus noſtris demus, atque *totius illius Compilationis formam rationemque* paulo enucleatius ſub eorum adſpectum ponamus. Quod breviſſimis quidem, quoad fieri poterit, verbis, ad finem quum properet oratio, ſumus facturi.

1. Primum igitur, *Exordium* quod adtinet libelli; quum in quoque eorum Librorum, quo populi alicuius res, quas cum Romanis habuerunt, expoſuit APPIANUS, ab hoc incipere conſtanter conſueverit, quod ipſa etiam ratio poſtulabat, ut eius populi, de quo agebatur, praeviam aliquam notitiam lectori adferret, ac de origine eius gentis, ſi quid de ea memoratu dignum dicendum haberet, de eius ſedibus, de ſuperioribus eiusdem fatis, denique de ſtatu, quo fuerit ille populus eo tempore, quo primum bellis miſceri cum Romanis coepit, nonnulla in ipſo cuiusque libri exordio exponeret; *Parthicus* hic liber unus eſt ex omnibus, qui APPIANO tribuitur, in quo ne veſtigium quidem ullum earum rerum occurrat. Sed nimirum *Exordii* loco nihil aliud ibi legitur, niſi lacinia quaedam, ex *Syriaco* APPIANI libro, (pag. 120. a. b. c.) ubi in *Parthorum* mentionem ille inciderat, huc transſcripta. Iam, quum APPIANUS, ubicumque ordinis aut perſpicuitatis ratio poſtulabat, ut ea, de quibus alio loco dixerat vel dicturus erat, ſive brevibus verbis repeteret, ſive in transcurſu tangeret, numquam non ad locum eum ablegaverit lectores ſuos, quo vel antea de ea re dixiſſet vel deinceps fuſius eſſet dicturus; hoc loco nullum indicium adiecit compilator, ex quo ſuſpicari poſſet lector, laciniam eam eſſe ad verbum ex APPIANI *Syriaco* deſcriptam. Ni-

pp) Cum in *Syriaco*, pag. 120. a. in *impreſſis* vitioſe ſic legatur, καὶ πρῶτος ἐκ τῶνδε ἐπίμφθη Γαβίνιος μετὰ στρατιᾶς καὶ πολέμου ὁρμῶν. καὶ Μιθριδάτης μὲν κ. τ. λ. poterat quidem ille locus ex *Auguſtani* Codicis lectione, ſatis commode, ita emendari: ἐπίμφθη Γαβίνιος μετὰ στρατιᾶς. Καὶ πολεμεῖν αὐτὸν ὁρμῶντα Μιθριδάτης μὲν κ. τ. λ. Sed ex hac *Parthica* Compilatione videtur locus ille ſic reſtituendus: Καὶ Ἀραψὶ πο-

mirum APPIANI ſtylo, qui in ipſo compilationis illius initio conſpicuus eſſet, capere lectores voluiſſe videtur callidus homo, ut ad APPIANUM auctorem referre hanc totam ſcriptionem ne dubitarent: verendum autem erat, ne non ſolum in dubitationem inciderent lectores, ſi ſcirent, ex alio APPIANI libro totum illud fragmentum eſſe ad verbum deſcriptum; ſed etiam, ne quam maxime in eadem dubitatione confirmarentur, ſi ipſum locum *Syriaci* libri, unde illa lacinia decerpta eſt, inſpexiſſent. Sed, ne non modo calliditatem ſuam, verum etiam ruſticam plane imperitiam, iam inde ab initio ſuae compilationis proderet ineptus homo; initium totius libri, qui nullo modo cum fine praecedentis alicuius libri connexus erat, ecce, ab his verbis fecit mirus ille artifex: Μετὰ δὲ τοὺς ἐκ Πομπηΐου κ. τ. λ. *Poſt eos autem &c.* Neque tamen incommodo lectorum APPIANI accidit, quod ea lacinia ex *Syriaco* libro in compilatione iſta repetita ſit; quoniam ex eadem laciniâ (quippe e meliori APPIANI Codice pluribus abhinc ſeculis transſcripta) mendae nonnullae, quae vulgata Scriptoris noſtri exemplaria in *Syriaco* Libro occuparunt, tolli commode poſſunt. *pp*)

2. *Sub finem* illius *Exordii*, poſt verba ἀσχολουμένων ἔτι Ῥωμαίων ἐς τὰ ἐπ' ἀλλήλους ἐμφύλια, cum in *Syriaco* Libro illis verbis haec ſubiecta eſſent, ἀλλὰ τάδε μὲν ἐντελῶς ἐν τῇ Παρθικῇ συγγραφῇ λέξω: horum loco, ut transitum ſibi ad PLUTARCHI narrationem *de Craſſi in Parthos expeditione* pararet compilator, haec verba adiecit: Καὶ ἔπραξαν μὲν

λεμεῖν αὐτὸν ὁρμῶντα: aut etiam, omiſſo verbo πολεμεῖν, legendum fuerit, καὶ ἐπὶ Ἄραβας αὖτὸν ὁρμῶντα Μιθριδ. κ. τ. λ.

Mox in verbis ſequentibus nomen Parthorum regis rectius Ὁρώδης, ut eſt in *Parthico* Libro, quam Ἡρώδης ſcribetur.

Eadem pag. 120. b. poſt verba ἀντὶ Παρθυαίων ἐπὶ Ἀλεξανδρίας, ex *Parthico* Libro, addendum videtur verbum ὁρμῆσαι. - *Ibid.* pro verbis, ἐπὶ τῷ ἄτιν ψηφίσματος ἐς Αἴγυπτον ἐμβαλεῖν, ex Codicis *Auguſtani* in *Parthico* Libro lectione, in *Syriaco* etiam, omiſſis verbis ἐπὶ τῷ, reponendum eſt ἄτιν ψηφίσματος ἐς Αἴγυπτον ἐμβαλών.

Digitized by Google

οὐδὲν μέγα, ὅ τι καὶ ἄξιον λόγου, λῃστεύουσι μᾶλλον ἢ πολεμοῦσιν ἐοικότες. Ἀλλὰ τάδε μὲν ὕστερον γενόμενα τῇ Κράσσου κακοπραγίᾳ τε καὶ συμφορᾷ, προαγαγούσῃ αὐτοὺς (haec enim lectio, ex *Auguſtano* Codice, reſtituenda eſt homini, ubi, quae *Impreſſi* habent, prorſus turbata ſunt) ἐς Θράσος ἀμήχανον, ὑπὸ Ἀντωνίου συνεστάλη. Quo adſumento, quod ſuo ex ingenio homo noſter adiecit, & ignorantiae, & aſtutae ſimul impudentiae, neſcio, utrius magis, ſed utriusque certe ſatis luculentum documentum dedit. Dixerat ſcilicet in *Syriaca* Hiſtoria APPIANUS, »ſe ea, »quae *Craſſo*, quae *Bibulo*, quae *Saxa*, Syriam provin»ciam adminiſtrantibus, a Parthis geſta ſint, ea *copioſe & »adcurate* (ἐντελῶς) in *Parthico* Libro eſſe expoſiturum.« Atqui quae poſt Craſſi interitum, *Bibulo* Syriae Proconſule, & praeſertim, quae deinceps, *Saxa*, Antonii legato, eamdem provinciam tenente, a *Parthis* adverſus Romanos geſta ſunt; de iis utique in *Parthico* Libro, pro inſtituta APPIANI ratione, proprius adcurate dicendi locus erat; eoque etiam magis, quod Saxae tempore Parthi, *Labieno* duce in Syriam irrumpentes, eiecto *Saxa*, eodemque in Cilicia profligato & occiſo, ipſam Aſiam usque ad Ioniam invaſerant. (Cf. LIVII Epitomam CXXVII. DIONEM CASSIUM, Lib. XLVIII. cap. 24-26. VELLEIUM PATERCULUM, Lib. II. c. 78.) Iam vero quum neque eorum, quae *Bibulo* Syriam adminiſtrante a Parthis geſta fuiſſent, neque *Saxae*, Syriae Praefecti, mentionem ullam apud PLUTARCHUM ſuum inveniſſet Compilator noſter, neque vero aliunde quidquam de iis rebus cognitum haberet: non modo in ea parte compilationis ſuae, qua illarum rerum hiſtoria, ex APPIANI quidem conſilio, exponi debebat, ne uno qui-

99) Qui illa Auctoris noſtri loca conferre voluerint, eis hasce ex *Auguſtano* Codice enotatas Emendationes non ingratas ſpero futuras. *Pag.* 432. a. pro ἐπεὶ μέντοι, lege, ἐπὶ μέν τι, *per aliquod tempus*. *Ibid.* c. πομπὴν οὐχ ἑτοίμην, lege, ἕτοιμον. *Ibid.* δεόμενος τρέψαι, lege, ἐπιτρέψαι. *Ibid.* e. φθόνῳ δ' αὐτὸν, lege, φθόνῳ δ' αὐτῶν. -- *Pag.* 433. a. τὰς χρείας ἀλλήλοις συνεράπιζον,

dem verbo vel *Bibulum* & *Saxam*, aut quid adverſus hos geſſerint Parthi, commemoravit; verum etiam multo ante cavere callidus homo voluit, ne illo loco aliquid earum rerum vel exſpectarent vel quaererent lectores. Quo conſilio, iam in eorum verborum locum, quibus promiſerat APPIANUS, ſeſe de rebus a Parthis adverſus Romanos, ſub *Bibulo*, atque dein ſub *Saxa*, geſtis in *Parthico* Libro adcurate eſſe dicturum, Veterator noſter non erubuit, haec potius verba, APPIANI menti atque conſilio ſatis clare teſtificato ex adverſo repugnantia, reponere: *ſed nihil quidem magni, aut quod vel memoriâ dignum eſſet, geſſerunt; quippe praedonibus magis, quam bellum gerentibus hoſtibus ſimiles.* (Conf. que infra *num.* 5. obſervaturi ſumus.)

3. Iam ab illo Exordio, quod partim ipſi APPIANO ſubreptum, partim etiam contra planam eius ſententiam oppido adulteratum vidimus, *ad Craſſi expeditionem contra Parthos*, cuius hiſtoriam e PLUTARCHO totam exſcripſit, transiturus Compilator; quum ea, quae apud PLUTARCHUM praeceſſerant, in brevius contrahere vellet; turpiter rurſus cum imperitiam ſuam inſcitiamque, tum vero etiam negligentiam, prodidit. Primum enim, *Caeſaris petitionem conſulatus* cum *petitione Craſſi & Pompeii*, quae in quintum annum poſt Caeſaris petitionem inciderat, (quam eamdem non minus PLUTARCHUS ipſe in eadem *Vita Craſſi*, p. 551. c. d. & *ibid.* e. f. quam APPIANUS *Civil.* II. pag. 432 ſq. & *ibid.* p. 437. c. d. e. *qq*) ſatis adcurate a Caeſaris petitione distinxerat) confundens atque miſcens homo noſter, *Caeſarem Pompeii & Craſſi competitorem fecit.* (Vide p. 134 extr.) Deinde, quoniam PLUTARCHUS, de Caeſaris

lege, *συνηρέτιζον.* -- *Pag.* 437. c. καὶ σπουδῆς ἐς ἅπαντα, lege, ἐς ἅπαντας. *Ibid.* Καίσαρι δ' ἐς ἡγεμονίαν, lege, ἐς τὴν ἡγεμονίαν. *Ibid.* d. pro corrupto ἐνηφισθῆναι, quod religioſe e prioribus editionibus TOLLIUS etiam conſervavit, lege, ἐπιψηφισθῆναι. *Ibid.* d. τῶν ἀμφ' αὐτοὺς ἱρεῖς, lege, τῶν δ' ἀμφ' αὐτ. ἱρεῖ. - *Pag.* 438. a. πολλά τε ἄλλα ἀπαίσια, adde, ἐγίγνετο. *Ibid.* pro Παρθυίην, lege, Παρθυήνην.

Digitized by Google

petitione Conſulatus & de priori Triumvirorum conſpiratione verba faciens, *Ciceronem* cum Catulo & Catone nominaverat, tamquam viros qui libertatem reipubl. contra paucorum dominationem defendere ſolerent; nunc idem Compilator noſter, turbans alioque rapiens omnia, *Ciceronem*, ait, *cum Catone adverſatum eſſe Pompeio Craſſoque conſulatum illum petentibus.* (Vide p. 135. a.) Iſtud autem neque a PLUTARCHO, neque ab APPIANO, nec ab alio quopiam Scriptore, umquam proditum eſt, atque etiam prorſus falſum eſſe ſatis adparet, quum conſtet, eo ipſo tempore amicitiam Pompeii Craſſique coluiſſe CICERONEM; qui etiam ipſe ſcribit, ſe per id tempus, (ne ſcilicet vel Triumviros vel Senatum offenderet) *a curia & ab omni parte reipublicae ſeſe ſubtraxiſſe. Ad Q. Fratrem* Lib. II. Epiſt. VI.

4. Poſt infelicem hunc, quem diximus, transitum, mox (pag. 135. lin. 3.) inde ab illis verbis, Καὶ ἐπέδοσαν Καίσαρι μὲν ἄλλην πενταετίαν, ipſiſſima PLUTARCHI verba, quae in *Vita Craſſi* p. 552. c. leguntur, paulatim incipit adhibere Compilator: qui, ſi impenſius paulo callidus fuiſſet, aliquanto etiam ulterius potuerat APPIANI verbis uti; iis, quibus ipſe Scriptor noſter eamdem provinciarum inter Pompeium Craſſumque ſortitionem, ac profectionem Craſſi

rr) Sic, (ut ſtatim ex principio huius Hiſtoriae exempla quaedam depromam) quod pag. 135. b. poſt verba, ὡς μόλις, omiſſa ſint illa, quae PLUTARCHUS adiecit, ἐν ἀλλοτρίοις καὶ πολλοῖς, ſine quibus ſententia orationi vix conſtabat; id quidem, vereor, ne iniurius eſſem in Compilatorem huius libelli, ſi conſulto ab eo factum eſſe iudicarem: ſed per feſtinationem negligentiamque, ſive ipſius Compilatoris, ſive potius poſteriorum librariorum, omiſſa illa verba putanda ſunt. Eodem modo & alibi verba haec: Τούτων ἦν Κάσσιος, ὁ ταμίας: quae *Plutarchus* pag. 554. d. habet, quamquam ea in impreſſis Exemplaribus *Parthicae* huius compilationis (pag. 138. b.) fruſtra quaeras, non tamen ipſius primi Compilatoris culpâ omiſſa ſunt, ſed ſubſequentis alicuius librarii, negligentiâ; in *Auguſtano* autem Codice non minus, quam apud ipſum *Plutarchum*, leguntur. Iterum, ubi pag. 135. b. poſt verba ἥκιστα κομπαστὴς in *impreſſis* ſequitur importunum verbum ἦν, quod apud *Plutar-*

ad bellum Parthis inferendum, expoſuit. *Civil.* Lib. II. p. 437 extr. & ſq. Tum vero, abhinc verbis *οἵ τε γὰρ πολλοὶ Πομπηΐου*, quae eodem loco p. 135. a. proxime ſequuntur, *tota Craſſianae expeditionis Hiſtoria*, quae usque ad p. 155. e. perducitur, ex PLUTARCHO, (inde a pag. 552. d. usque ad finem *Vitae Craſſi*, p. 565. b.) *plane ad verbum* transſcripta eſt. Nam quamquam in hac eadem compilatione ſatis multa occurrunt, a PLUTARCHI verbis, prout ea in vulgatis huius Scriptoris exemplaribus leguntur, haud parum discrepantia; totum tamen discrimen non niſi in ſingulis vocibus aut brevibus phraſibus ineſt, quae librariorum culpâ negligentiâque, mox in ipſa hac *Parthica* compilatione, *rr*) mox etiam in PLUTARCHI editionibus, ſive omiſſae ſunt, ſive corruptae. Atque bonâ quidem PLUTARCHI fortunâ ita cecidit, ut plurimis in locis multo etiam emendatiora ſint Compilationis huius exemplaria, quam ipſarum PLUTARCHI *Vitarum* editiones: quo fit, ut probae haud paucae lectiones, quae apud Plutarchum per librariorum editorumque negligentiam depravatae ſunt, eidem legitimo domino ex Compilatoris noſtri furto reſtitui poſtliminio poſſint debeantque. *ss*)

chum non invenitur; idem verbum ab *Auguſtano* etiam Codice recte abeſt. Pag. 156. a. poſt verba *ἅρμασι μὲν Πάρθοις ἐνίστασθαι*, idem *Auguſtanus* Liber, quatuor verba, *καὶ μέχρι Φοινίκης προῆλθε*, quae eo loco apud *Plutarchum* pag. 929. c. inſerta leguntur, eodem prorſus modo expreſſa habet. Eâdem p. 156. b. verbis *αὐτὸς δὲ χαριζόμενος* idem Codex recte, ſicut *Plutarchus*, vocem *Καίσαρι* inſertam exhibet. Eademque ratione ſaepius aliâs, *emendatiorem* iſtum Codicem ſi inſpicias, nullum inter fragmentum hoc *Plutarchianum*, atque inter ipſa *Plutarchi* exemplaria, discrimen adparet.

ss) Speciminis loco videamus, *a media pagina* 552. apud *Plutarchum*, qua initium huius fragmenti continetur, *usque ad finem eiusdem paginae*, quot ſphalmata, quae *Plutarchi* exemplaria occuparunt, huius Compilationis ope tolli poſſint. Igitur primum, ubi apud *Plutarchum* pag. 552. c. eſt, *Καίσαρι μὲν ἄλλην ἀπέδοσαν*, lege ex hac *Parthica* compilatione, *ἐπέδοσαν*. *Ibid.* d. quum ſit: *Ἦν δὲ οὐκ ἀκούσιος ὁ κλῆρος ἅπασιν*, mihi

5. Ad finem perductâ Craſſi hiſtoriâ, ſequitur (inde a p. 155 extr.) *Parthicae huius Compilationis pars altera*, qua *Antonii bellum Parthicum* continetur. Ea pars incipit ab iis rebus, *quae*, cum Parthi, Labieno & Pacoro ducibus, Syriam totamque paene minorem Aſiam occupaſſent, *a Ventidio, Antonii legato, geſta ſunt*, dum ipſe Antonius adhuc vel civilibus turbis diſtinebatur, vel voluptatibus cum Cleopatra indulgebat. Tum vero a pag. 157. d. usque ad finem totius libelli, *ipſius Antonii adverſus Parthos expeditio* exponitur. Ac de huius quidem *Antonianae expeditionis hiſtoria* nihil aliud magnopere habeo quod moneam, niſi quod tota quanta e PLUTARCHI *Vita Antonii*, pauciſſimis hinc inde omiſſis vel contractis, aliis non niſi per librariorum errorem

paene nullum dubium eſt, quin, quod apud noſtrum hominem (pag. 135. a.) legitur, ἀσπάσιος, potius *Plutarcho* debeatur, eique auctori reſtituendum ſit. *Ibid.* ad verba πολλὰ καινὰ καὶ μειραχιώδη, HENR. STEPHANUS monuit, ex *Parthico* Libro ibi καινὰ reponendum eſſe. Neſcio tamen, an rectius retineatur καινὰ, *mira multa, ac iuvenilia*. *Ibid.* e. ΠΑΡΟΙΚΟΣ πόλεμος. Lege, cum noſtro Compilatore, ΠΑΡΘΙΚΟΣ. *Ibid.* ὅτι πρὸς τοῦτο Κράσσος ἐπτόηται, lege, cum noſtro homine, ἐπτόητο. *Ibid.* f. pro συμπροσπίμψαι, lege, συμπροπίμψαι. *Ibid. in fine*: σιωπῇ δὲ αὐτῶν πρασιοῦσιν, lege cum compilatore, ex *Auguſtano* Codice, προϊοῦσιν. Quare, ſi eo potiſſimum conſilio *H. Stephanus* operam illam ſuscepiſſet *Parthici* huius Libri cum PLUTARCHI *Craſſo* & *Antonio* curatius conferendi, ut vidiſſet, quibus locis, quave ratione, ex hac Compilatione poſſet corrupti *Plutarchi* exemplaribus medela adferri; non niſi optime ac praeclare fuerat facturus. Nunc, quod illam collationem ita inſtituit, ut ſtudioſe interdum quaeſierit, aut quaerendum eſſe monuerit, *quo conſilio quaedam* APPIANUS, quem is ſibi perſuaſerat eſſe huius compilationis auctorem, *aliter, quam apud* PLUTARCHUM *leguntur, poſuerit?* atque *uter iſtorum Auctorum uno alterove loco elegantiori dictione uſus eſſe cenſendus ſit?* id vero non poteſt ingenio tanti Viri ſagacitateque non indignum videri.

tt) Prima verba huius poſterioris partis Compilationis *Parthicae* (pag. 155 *extr.* usque ad pag. 156. a. lin. 4. Αἰωρουμένης δὲ - - - ὑς Ἀλεξάνδρειαν.) in PLUTARCHI *Antonio* pag. 927 *extr.* usque

mutatis, transſcripta ſit. *tt*) Unum tamen exemplum infra adponere liceat, *uu*) e quo adpareat, quam *imperitâ* etiam *ineptâque ſcrupuloſitate* Antonii illa hiſtoria ex PLUTARCHO in hanc *Parthicae hiſtoriae compilationem* fuerit translata.

6. Sed de ea ratione, non nimis quidem callidâ, qua a *Craſſianae* calamitatis narratione ad illam *Antonii* hiſtoriam progreſſus eſt homo noſter, pauca quaedam monenda ſuperſunt.

Primo enim, numquam in ullius rei vel hominis mentionem, praeſertim eiusmodi perſonae, cuius primariae quaedam partes eſſent in ea re, de qua agebatur, incidit APPIANUS, quin, quantum ſatis eſt, doceat ſtudioſum lectorem,

ad lin. 2. pag. 528. leguntur. Sequitur alia lacinia (pag. 156. lin. 4 - 10. ἐπάγοντα δὲ Πάρθους - - - - εἰς τὴν Ἰταλίαν.) ex PLUTARCHO *ibid.* p. 929. b. c. deſumta. Iam illa verba Compilatoris noſtri (pag. 156. lin. 10.) καὶ φίλος γενόμενος Καίσαρι καὶ Πομπηΐῳ τῷ Σικελίας ἄρχοντι, προύπεμπεν αὖθις εἰς Ἀσίαν Οὐεντίδιον κ. τ. λ. ex illis eiusdem PLUTARCHI *ibid.* pag. 930. c. d. (Ἀντώνιος δὲ μετὰ τὰς διαλύσεις Οὐεντίδιον μὲν εἰς Ἀσίαν προύπεμπε κ. τ. λ.) ducta ſunt. Denique abhinc his verbis reliqua, quae ſequuntur, usque ad finem huius Compilationis, ex eodem PLUTARCHO, *ibidem*, continua ſerie deſcriptâ ſunt.

uu) Scilicet cum *Plutarchus* pag. 936. inſigne aliquod documentum reverentiae ac benevolentiae attuliſſet, qua Antonii milites in imperatorem ſuum fuiſſent adfecti; *ibid.* c. haec verba idem ſcriptor adiecerat: Τούτου δὲ αἰτίαι πλείονες ἦσαν, ὡς προεῖπα μεν· εὐγένεια, λόγου δύναμις, κ. τ. λ. *Complures autem erant cauſſae, quemadmodum iam ſupra docuimus, cur ita adfecti eſſent milites: nobilitas, eloquentia, ſimplicitas, crebra largaque munificentia, & in iocis ac colloquiis comitas.* Haec igitur verba qui cum iis contulerit, quae haud ita multo poſt initium *Vitae Antonii* pag. 917. c. d. e. apud eumdem *Plutarchum* leguntur; is plane videbit, ad eum locum referenda eſſe verba illa ὡς προεῖπα μεν. Atqui quamvis neque eumdem locum, neque alium quempiam, quo eaedem Antonii dotes exponerentur, ſuae compilationi inſeruiſſet Artifex noſter; tamen *bona fide* iam eadem illa verba, ὡς προεῖπα μεν, quibus ad eum, quem dixi, locum lectores ſuos ablegaverat *Plutarchus*, ſimul cum reliquis verbis transſcribere non dubitavit, p. 163. e.

Digitized by Google

quae aut *qualis illa res* sit? *qui homo?* & *qua ratione, quibus cauſſis*, factum sit, ut *in eum locum ſtatumque*, quo quisque in historiae scenam primum inducitur, *pervenerit?* Sed in hac *Parthicae compilationis* parte plane contrarium eius rei factum videmus. Subito, ac velut de coelo delapsi, & *Labienus*, (p. 155 extr.) & mox *Antonius*, (p. 156. a.) inducuntur. Quis mortalium *Labienus* ille fuerit? quove casu *vir Romanus* eo devenerit, ut *Parthorum dux* & imperator contra Romanos eligeretur? quod mirum sane videri debebat legentibus; id ne uno quidem verbo monetur. Neque magis declaratur, qui factum sit, ut *Antonius* potius, quam quilibet alius Romanorum, bellum istud contra Parthos susceperit; ubi saltem uno verbo commonefaciendus erat lector de *persona* ANTONII, & de illa partitione imperii inter *Triumviros*, de qua APPIANUS *Civil.* V. p. 709. dixerat. — Qui vel summis labiis APPIANI *historias* degustavit, eum non poterit profecto proprius sensus non condocere, quam sit haec ratio, historiam aliquam ingrediendi, a luculenta eademque constantissima APPIANI ratione alienissima.

Deinde, quamquam ante dixerat Compilator noster, (vide supra, num. 2.) quae *Saxae* tempore gesta a Parthis sunt, ea tam exigui momenti esse, ut ne memoriâ quidem digna sint; tamen earumdem rerum mentionem hoc loco brevissimam quidem, sed sane talem fecit, ex qua adpareat, non minimi momenti eas res fuisse; nam (p. 156. a.) ex PLUTARCHO suo nobis narrat, *Parthos, Labieno duce, totam Asiam, inde ab Euphrate & Syria usque ad Ioniam & Lydiam, in potestatem suam redegisse.* Sed nimirum nesciebat homo noster, illam ipsam *Parthorum in Asiam expeditionem, LABIENO duce susceptam, esse eamdem, quae SAXA Syriam tenente accidit.* Iam vero, quamvis & *Labieni* & expeditionis ab eo cum Parthorum copiis adversus Romanos susceptae, hoc loco, ut dixi, mentio fiat; tamen id ipsum rursus plane aliter factum videmus, atque ratio ab APPIANO instituta postulabat. Nam cum non modo in *Syriaco* Libro, ut iam

Digitized by Google

saepius monuimus, ille professus sit, se *copiose & accurate* ea de re in *Parthico Libro* verba facturum; verum etiam iterum, de *Bellis Civil.* Lib. V. p. 709. e. conceptis verbis sic scripserit: *quae autem* LABIENUS *& Parthi cum fecerint, tum vero passi sint, ea* PARTHICUS LIBER *declarabit:* nunc a Compilatore nostro vix, ac ne vix quidem, unum verbum amplius de *Labieno*, ac de his quae cum Parthico exercitu ille in Syria Asiaque gesserit, commemoratum legimus, quam iis ipsis locis APPIANUS commemoraverat; ubi promisit, se hoc loco copiosius atque enucleatius easdem res esse expositurum.

Denique, ipsum initium totius huius posterioris Partis Compilationis istius, Αἰωρουμένης δὲ Παρθικῆς στρατιᾶς -- φερόμενον ὑπ' αὐτῶν ἐς Ἀλεξάνδρειαν (pag. 155 extr. usque ad pag. 156. lin. 4.) quam *imperitissime absurdissimeque* e PLUTARCHO huc raptum, & quam *monstrose* (ut nullam plane medicinam valeas loco illi adferre) *distortum* sit; id ne ipse quidem elegantiarum illarum, quibus hinc inde in hac compilatione APPIANUS (si Deo placet) usus sit, Admirator, HENRICUS STEPHANUS, sibi potuit dissimulare; qui ad extremum non aliam rationem, nodum istum, quem ipse sibi nexerat, solvendi invenit, nisi ut ad quaestionem illam, quam sibi movet, *Unde autem profectum hunc errorem suspicabimur?* his verbis respondeat: *Ego certe ab eo ortum esse crediderim, cui* APPIANUS *ista ex Plutarcho excerpenda dederat, paulo longius, quam iussisset Appianus, progresso in his, quae ex eo excerpenda loco erant.* Sed tota STEPHANI adnotatio ad eum locum (p. 41. *Adnotationum* in ipsius *editione;* vel p. 264 sq. in *editione Tolliana*) perlegenda est, & cum ipso illo PLUTARCHI loco, unde haec transsumta sunt, conferenda; ut plane videas, quam turpiter pueriliterque hoc eodem loco Compilator noster sese prodiderit.

Digitized by Google

CONTENTORUM
SUMMA CAPITA.

Epiſtola ad Lectorem. pag. 3.

SECT. I. *APPIANI perſona & aetas.* pag. 9.

SECT. II. Quam *Rationem* ſecutus ſit in conſcribenda Romana Hiſtoria *APPIANUS.* pag. 11.

SECT. III. Recenſetur ſeries *XXII. librorum*, per quos olim distributa erat *APPIANI* Romana Hiſtoria. pag. 15.

SECT. IV. Teſtimonia de *APPIANO*, atque ex eius opere Excerpta ab aliis confecta. pag. 29.

SECT. V. Recenſentur *Libri* ex univerſa *APPIANI* Hiſtoria Romana *hodie ſuperſtites.* pag. 42.

SECT. VI. Demonſtratur, *PARTHICUM LIBRUM*, qui inter Appiani ſcripta hodie legitur, *nihil ad APPIANUM pertinere; falſoque plagii culpam in Scriptorem noſtrum fuiſſe collatam.* pag. 54.

In eadem Sectione, §. v. - IX. disputatur *de Fontibus, e quibus ſua hauſit Appianus*, itemque *de Ratione qua ſuis uſus eſt auctoribus.*

Digitized by Google

II.

DE IMPRESSIS AC MANUSCRIPTIS HISTORIARUM APPIANI CODICIBUS. *

CAPUT I.

De antiqua Verſione Latina Codicibusque Graecis Vaticanis Hiſtoriarum Appiani.

§. I. *Notitia Literaria antiquae Verſionis Appiani.*

IAM inde a primo fere exordio renaſcentium in occidentalibus Europae partibus literarum, celebrari in Italia coeperunt *Appiani Alexandrini Romanae Hiſtoriae.* Medio namque ſeculo poſt C. N. quinto decimo, quum in Graecorum numero librorum, Nicolai V. Pont. Rom. auſpiciis Romam deportatorum, Codex eſſet novem aut decem Hiſtoriarum Appiani libros continens; mox id egit ſummus ille literarum Patronus, ut, quemadmodum aliorum antiquitatis monumentorum, quibus Bibliotheca ipſius inſtructa erat, ſic & Appianei illius operis fructus cum hominibus bonarum literarum ſtudioſis, procuranda *latina verſione*, communicaretur. Id negotium PETRO CANDIDO DECEM-

[* Olim ſic: *Commentationem Hiſtorico-Criticam De impreſſis ac manuſcriptis Hiſtoriarum Appiani Alexandrini Codicibus, cum ſpecimine novae Editionis, praeſide Ioh. Schweighaeuſer, Graec. & Orient. Liter. Prof. in Univerſitate Argentoratenſi ſolenni Eruditorum examini ſubiicient, Ioh. Daniel Lenz capita tria priora d. XXV. Septemb. Ioh. Simon Herrenſchneider caput quartum cum novae Editionis Specimine, die XXVI. Septembris* MDCCLXXXI. Nunc quidem Novae Editionis ſpecimen, quoniam editio ipſa iam pridem in publicum prodiit, conſulto reſecuimus.]

BRI *a*) datum; qui duabus partibus opus illud complexus est; quarum prima parte, ipsi Nicolao V. inscripta, adeoque ante annum MCDLV. edita, praeter *Prooemium Appiani*, *Libyca* eiusdem Historia, tum *Syriaca*, *Parthica*, (cui quidem falso *Appiani* nomen inscriptum esse, nuper *b*) demonstravimus) ac *Mithridatica* continebatur. Alteram partem, *libros quinque de Bellis Civilibus*, cum Historia *Illyrica* & *Gallicae* historiae *Epitomâ* complexam, *c*) mortuo demum Nicolao absolvit interpres, eamdemque Alfonso, Arragonum & utriusque Siciliae regi, quem constat anno MCDLVIII. e vivis excessisse, dicavit. Tanta autem fuit huius latine redditi Appiani celebritas, ut, postquam calamo primum per aliquod tempus multiplicata fuerant eius exempla, *d*) dehinc, ex quo typis etiam coeperunt vulgari, *novem*, quoad equidem sciam, eiusdem *latini Appiani editiones e*) partim in Italia, partim in Germania, partim in Gallia,

a) Hunc eo tempore *Ministrum Nicolai Pontif. ab Epistolis* fuisse, VOLATERRANUS testis est, *Commentar. Urban.* Lib. XIII. pag. 150. Eumdemque Mediolani deinde, praestanti eruditionis ac eloquentiae famâ, Graece Latineque docuisse, PAUL. IOVIUS commemorat, in *Elogiis virorum literis illustrium*, *pag.* 28.

b) *Exercitat. in Appianum*, Sect. VI.

c) In impressis autem exemplaribus, consilio an casu, nescio, sed in omnibus quas vidi editionibus, perperam pars *posterior*, Historiam *Bellorum Civilium* cum *Illyricâ* historiâ complectens, ante *priorem* partem exhibetur.

d) Illorum plura, quae in publicis Bibliothecis adhuc adservantur, in eisque nonnulla etiam membranacea exemplaria, apud MONTFAUCONIUM, in *Bibliotheca Bibliothecarum Mss.torum*, passim commemorantur.

e) Primam editionem non *Romae*, sed *Venetiis*, an. 1472. prodiisse, recte monuit MAITTAIRE *Annal. Typogr.* Tom. IV. pag. 313. neque enim in *specimine historico Typographiae Romanae*, Romae an. 1778. a. *P. Franc. Xav. LAIRE* edito, ad illum annum 1472. ullam Appiani *Romae* impressi mentionem factam videmus. Praeter reliquas editiones, sive *Maittairio* sive FABRICIO in *Biblioth. Graec.* commemoratas, ultima vice Appianus ex *Petr. Candidi* versione, *Lugduni* apud Seb. Gryphium forma 16ma, an. 1551.

Digitized by Google

prodierint priusquam primum suâ linguâ loquens Scriptor noster in lucem ederetur: ne de variis in varias recentioris aevi linguas ex eadem P. CANDINI interpretatione confectis conversionibus dicam. *f*)

§. II. *Conditio atque usus illius Versionis P. Candidi.*

Quod si ex tam saepius repetita huius *latini Appiani* editione liceret de pretio ipsius interpretationis iudicare; sane eam, si non optime, saltem satis probabiliter, confectam pronunciares. Sed quamcumque fere libri evolvas paginam, mire frustratam exspectationem tuam deprehendas. Nimirum infinitis in locis toto coelo ab auctoris sententia aberrat; plurimis in locis ita obscura & contorta atque intricata est haec versio, ut nihil aliud, nisi hoc, clarum esse videatur, interpretem hunc, cum quid ipse dixerit, tum

elegantibus typis excusus est. Equidem editione *Moguntina* 1529. in 4to, soleo uti, ex eademque, quam & vulgatissimam & commodissimam puto, paginas ubi opus erit citabo; neque tamen omitto quin splendidissimam & copiosissimis Adnotationibus marginalibus instructam *Venetam* editionem, an. 1477. (quam possidet publica Universitatis nostratis bibliotheca) quibusvis in locis, quae paululum dubitationis habent, cum Moguntina conferam.

De editione illa, quae partim *Regii*, partim *Scandiani* prodiit, in cuius calce annus impressionis vitiose exhibetur *M. CCCCLCXV. IV. Iduum Ianuarii*, monere in transitu liceat, tam recte, quam acute, coniecisse MAITTAIRIUM, cum sibi videri dixit, reponendum fuisse annum MCCCCXCV. (*Annal. Typ.* Tom. IV. pag. 595.) Potuerat *cum certitudine* ita pronunciare peritissimus Bibliographus, si amplius aliquid, quam frontem atque calcem voluminis, inspexisset: nam in fine prioris Partis, eodem volumine comprehensae, quae libros de *Bellis civilibus* continet, declaratur, illam partem absolutam esse *Anno Domini M. CCCC. LXXXXIIII. die XXII. mensis Octobris.*

f) Earum versionum notitiam aliquam *Fabricius* atque *Maittairius* suppeditant. *Gallicam* versionem a *Claudio de* SEYSSEL ex *Candidi* Latina versione primum fuisse confectam, antequam Graecum exemplar nanciceretur, ipse profitetur interpres.

Digitized by Google

quid dicere ex mente Appiani debuerit, perinde neſciviſſe. *g*) Quod quum ita ſit, perſpecte tamen HENR. STEPHANUS, *h*) *minime abiiciendum hunc interpretem*, iudicavit; quandoquidem eius interpretatio *ad inveſtigandam veram Appiani lectionem ſaepenumero conferat*. Certe, niſi ipſius Graeci exemplaris, quo uſus eſt *Candidus*, uſura concedatur novo Appiani editori; eo maioris momenti eidem interim haec *Candidi* verſio eſſe debebit, quo planius ſaepenumero, per ipſam Graeci ſermonis imperitiam, lectiones exemplaris ſui prodidit ac declaravit interpres. Scilicet, quo minus bene *phraſium* Graeci ſermonis ac *ſtructurae* vim perceperat interpres, eo clarius ſaepe ſingulorum *verborum* veſtigia in eiusdem interpretatione perlucent.

§. III. *Codex P. CANDIDI in plurimis vitioſis Lectionibus cum Codd. Pariſ. & editis Appiani libris conſentit.*

Pravarum Lectionum, quae propriae ac privae ſunt illius Codicis, e quo *Candidus* verſionem ſuam confecit, nihil magnopere adtinet ſpecimina hoc loco proferre. Sed ut intelligatur quodammodo, quamnam ad claſſem aut

g) Excuſare bonum *Candidum PAULUS IOVIUS* nititur, quum (*Elog.* pag. 28.) *manci*, inquit, *paſſimque corrupti exemplaris Graeci vitio, vel laborioſus interpres in eo opere ſe candidum praeſtare non potuit, quum alia multo felicius perſcripſerit.* Sed quantumvis depravatum fuerit illud exemplar; facile tamen adparet, praecipuam cauſſam peccatorum illorum, quae huic verſioni merito obiiciuntur, in Graeci ſermonis imperitia, qua laborabat interpres, tractandorumque Codicum ea lingua ſcriptorum inſuetudine, eſſe quaerendam. Quo magis mirum eſſe debet id, quod ipſum hunc interpretem, in *Epiſtola ad Alfonſum regem*, de ſe Appiani hiſtorias legente videmus profiteri: *Ego medius fidius*, inquit, *dum haec lego, non audire Romanorum geſta, ut hactenus conſueveram, verum intelligere; nec intelligere tantum, ſed intereſſe, mihi videor.*

h) In *Praefatione* ad Appianum p. 2. eodem loco, quo non ſolum *horridam atque ruſticam* hanc *Petri Candidi* verſionem eſſe dixerat, ſed etiam *tam infidelem, ut multa non vertere, ſed pervertere dicenda ſit.*

Digitized by Google

quaſi familiam referendum illud exemplar ſit; haud abs re fuerit, ſi monuero, in quam plurimis ex illis locis, ubi in vitio cubant *editi* Appiani Libri ac duo *Regii Pariſienſes Codices*, quibus uſi ſunt primi Editores, eisdem vitiis laboraſſe illum *P. Candidi Codicem.* Ac huius quidem inter illos Codices conſenſus, perpetuique fere vitiorum aut lacunarum contagii, ſexcenta adferre ſpecimina poſſem. Sed ex his, ſatis fuerit, ſi pauca quaedam, nullo magnopere delectu habito e ſchedis noſtris enotata, cum Lectoribus noſtris hoc loco communicarimus; e quibus de caeteris coniectura capi poſſit. *i*)

§. IV. *Specimina* PROBARUM *Lectionum, quas Petr.* CANDIDI *Verſio ſuppeditat.*

Sed nec *probatis Lectionibus* caruit *P. Candidi* graecum exemplar; e quibus, quum in latina etiam verſione ſatis

i) *Hiſtoria Syriaca*, pag. 92. c. (*Henrici Stephani* editionem in citandis *Appiani* locis ſemper ſequor, cuius editionis paginae ad marginem Amſtelodamenſis editionis ubique adnotatae ſunt) In *Impreſſis* atque in *Codd. Regiis*, conſentiente *Candido* pag. 557. (edit. Mogunt. 1529.) legitur: Ἀντίοχος . . . χρηματίσας τοῖς Ῥοδίοις πρίσβεσι: ubi pro Ῥοδίοις neceſſario cum Codice *Auguſtano* Ῥωμαίοις legendum eſt; aut Ῥωμαίων, cum PLETHONE in *Excerptis ex Appiani hiſtoria Syriaca.* Conf. pag. 90 *extr.* & pag. 91 *ineunte*, atque adde quae locum eum, de quo agimus, proxime ſequuntur, pag. 92. d.

Eadem *Hiſt. Syriacâ* p. 95. c. *Impreſſi* cum *utroque Regio Msto* ita habent: καὶ ὁ Ἅππιος ἀπὸ τῶν Τεμπῶν τὸν Ἀντίοχον καὶ παρακαθήμενον ἰδών. Pro καὶ ponendum erat Λαρίσσῃ, quam vocem & Codex *Auguſtanus*, & *Pletho* exhibent: Ἀντίοχον Λαρίσσῃ παρακαθήμενον ἰδών. Eamque emendationem textui eſſe adferendam acute vidit alter Appiani Interpres *Sigism. Gelenius*; qui rem, de qua eo loco agebatur, ex Livii libro XXXVI. c. 10. edoctus, locum noſtrum his verbis Latine reddidit: *Appius ubi ad Tempe pervenit; viſis in propinquo caſtris Antiochi, LARISSAM obſidentis.* Sed *Lariſſam* cum *Regg.* Codicibus hoc loco ignorans *Candidus*, pag. 561. Graeca cum his Latinis commutavit: *Appius circa Tempe Antiochum cum exercitu conſediſſe videns.*

Digitized by Google

clare eaedem perluceant, vulgato graeco contextui paſſim, corruptis in locis, medela adferri poſſit. Et ex his quidem Lectionibus plerasque cum *Auguſtano* exemplari communes habuit *Candidi* liber: *k*) ſunt autem & aliae, quae perſpicua certiſſimaque ratione veram Appiani ſcri-

Ibid. pag. 104. c. poſt verba, quae Latine ſic ſonant: *Antiochus M. cognita clade, ad Myonneſum accepta, omnino perterritus eſt; Deum aliquem inſidiari ſibi exiſtimans: omnia enim praeter opinionem ſibi cadere; - - -* hoc modo pergunt *vulgata* Graeca exemplaria, cum Codd. *Regiis*: Ῥωμαίων (adde μὲν ex Cod. *Aug.* & *Pleth.*) ἐν τῇ θαλάσσῃ κρατούντων, ἐν ᾗ πολὺ προύχειν αὐτὸν (potius αὐτὸς, ut eſt in *Auguſt.* & apud *Pleth.*) ἐνόμιζε, τὸν Ἀντίβαν ἐς Παμφυλίαν κατακεκλεικότων. Pro τὸν Ἀντίβαν *Auguſtanus* Codex & *Pletho* exhibent Ῥοδίων δ' Ἀντίβαν, quam quidem pro genuina Appiani ſcriptura nemo dubitabit habere, qui & hiulcam hoc loco in *Vulgatis* orationem conſideraverit, & id quod ipſe Auctor noſter paulo ante pag. 100. c. dixerat, contulerit. Sed *Candidus* pag. 570. non magis, quam *Pariſienſes* Codices, illud nomen Ῥοδίων agnoſcit.

Ibid. pag. 107. b. *Vulgati* cum *Regg. Codd.* ſic: Ἀντιόχῳ δ' ἦν - - - ἡ φάλαγξ ἡ Μακεδόνων, ἄνδρες - - - ἐς τὸν Ἀλεξάνδρου καὶ Φιλίππου πρότερον ἐπικοσμούμενοι. *Candidus*, p. 572. *Antiocho - - phalanx ex Macedonibus - - fuit, a Philippo primum, deinde ab Alexandro in ordinem poſita.* Vides, *Candidi* Graecum exemplar eodem in mendo cum duobus *Regiis* cubuiſſe. Nullum vero dubium eſſe poteſt, quin recipiendum ſit nomen πρόπον, quod *Auguſt.* loco vocabuli πρότερον praeſtat; ſed fortaſſe & hoc una cum illo fuerit retinendum; ut Appianus ſcripſerit: ἐς τὸν Ἀλ. καὶ Φιλ. πρότερον τρόπον ἐπικοσμ. *ſecundum priſtinum Alexandri & Philippi inſtitutum inſtructi.* Livius XXXVII. 40. *decem & ſex millia peditum, more Macedonum armati.*

Ibid. paucis lineis interiectis, verba illa, ἐς δὲ τὰ πλευρὰ ἑκάστου μέρους δύο καὶ εἴκοσιν, mutila eſſe totiusque loci turbare ſententiam, nemo non videt. Eodem autem modo *Candidus*, p. 573. *in lateribus ab utraque parte duo & viginti.* Scilicet poſt μέρους excidit vox ἐλέφαντες, ad ſenſum omnino neceſſaria, quam *Auguſt.* exhibet. *Appiano* convenit cum *Livio*, qui l. c. *Haec acies*, inquit, *fuit in decem partes diviſa; partes eas interpoſitis binis elephantis diſtinguebat.* Ex ipſius tamen *Augu-*

pturam in eiusmodi locis ostendunt, ubi reliquos omnes, quos vidi, codices corruptos aut mutilos deprehendi. Cuius potissimum generis specimina nonnulla hoc loco protulisse iuvabit. *l*)

stuni Codicis lectione ambigua etiamnum quodammodo est oratio, ἐς δὲ τὰ πλευρὰ ἑκάστου μέρους, ἐλίφαντες δύο καὶ εἴκοσιν. Quare videndum, an & in ipso *Aug.* aliquid exciderit, scripseritque Appianus: ἐλίφαντες, ἀνὰ δύο, δύο καὶ εἴκοσιν.

Ibid. pag. 108. c. Πληγέντων γὰρ τῶν ἵππων ἀθρόως, καὶ τὰ ἅρματα ἐς τοὺς ἵππους περιφερόντων. Perspicuum est, veram esse Appiani scripturam, quam *Aug.* habet: *ès τοὺς φίλους, in suos. Candidi* autem Codex a vitiosa *Parisiensium* scriptura non recessit: *Vulneratis* (sic vetus interpres, p. 574.) *turmatim equis, & currus in equos deferentibus.*

Ibid. p. 115. d. Ante verba: Τὸ δ' ἐντεῦθεν ἀλόγως πάμπαν, exciderunt sex verba ad sententiam plane necessaria, quae nec *Candidus*, pag. 581. agnoscit. Ea *Augustanus* noster suppeditat: *τάδε μὲν καλῶς ἐπέπραχτο τῷ Μανίῳ*: ubi quidem eodem vitio, quod saepius in Msstis nostris & in impressis occurrit, pro Μαλλίῳ (sic enim Graeci *Manlii* nomen in Μάλλιος flectere solebant) perperam Μανίῳ scriptum est.

k) Illius generis lectiones quasdam iam in *Exercitationibus in Appianum* adnotavimus. Sic *Libyc.* pag. 59. a. pro vitioso καταπλίομενον, *Aug.* καταπνέομενον, & *Candidus*, p. 523. *perflarent.* (*Exercit.* p. 49.) Hist. *Syriac.* p. 127. c. pro corrupto προτιμότερον, *Aug.* προτιμώμενον, similiterque *Candidus*, p. 593. *ut mortem libens oppetat.* Sic item in aliis multis veteri illi Interpreti cum optimo Augustano Codice Graeco recte convenit. En unum praeterea ex *Bellorum civilium* Historia locum: Lib. IV. pag. 597. b. in historia proscriptionis a Triumviris editae, *impressi* cum *tribus Regiis* Codd. haec habent: Ὁ δὲ λοιπὸς ὅμιλος, οἱ μὲν τὰς οἰκίας τῶν ἀναιρουμένων διήρπαζον, καὶ τὸ κέρδος αὐτοὺς ἀπὸ τῆς συναινέσεως τῶν παρόντων κακῶν ἐψυχαγώγει. *Candidus*, pag. 264. *Ex reliqua autem multitudine quidam ad occisorum domos spoliandas accurrebant; quae utilitas a consideratione praesentium malorum eos avertebat.* Vides, pro absurdo συναινέσεως interpretem legisse συνέσεως, quam lectionem, citra dubium genuinam *Augustanus* habet.

l) *Bell. Civil.* Lib. II. p. 465. e. Ἐδείμαινεν οὖν ὁ στρατὸς αὐτῷ, καὶ τὴν πόλιν ἠρτοπώλουν. In hac scriptura *Augustanus* cum *Regiis*

Digitized by Google

§. V. *De Codicibus Msstis Appiani Vaticanis.*

Graecum exemplar, quo in convertendo Appiano usus erat *Candidus*, ex Nicolai V. Pont. bibliotheca in *Vaticanam* tandem transisse videtur; in qua ad hunc diem *duo Codices Msstι Appiani* conspiciuntur, qui *eadem serie eosdem Appiani Libros, quos latine convertit Candidus*, & in his *Illyricum* Librum *integrum*, continent. Illorum Codicum notitiam aliquam benevolentiae Cel. BANDINI, Bibliothe-

Msstis consentit. Ex herbarum radicibus (cf. CAESAR de *Bell. Civ.* III. 48.) panem conficiebant Caesariani; sed non tam, opinor, *formidine compulsi*, quam *fame pressi*. Ita pronus est literae Λ in Δ transitus, tamque frequens in Msstis diphthongi *ει* cum vocali *ι* commutatio, ut pro certissima emendatione corrupti loci ad marginem exempli mei editionis Stephanianae iam adnotavissem ἐλίμαινεν, quum a *Candido* pag. 125. illam emendationem confirmatam viderem, his verbis: *exercitus quippe eius fame premebatur.*

Civil. Lib. III. pag. 531. a. Antonius, quum Dolabellae Syriam provinciam a populo decerni cuperet, quamquam tribunus pl. in comitiis malum augurium obnunciabat, tamen τὰς κεφαλὰς ἐκέλευε χειροτονεῖν περὶ τοῦ Δολοβέλλα. *Augustanus* cum *Regio Colbertino* φυλακὰς; quod quidem nihilo melius est, quam κεφαλὰς, sed clariora verae lectionis vestigia continet, quam lectionem *Candidus* in suo exempl. invenit: τὰς φυλὰς ἐκέλευε χειροτονεῖν, *tribus de Dolabella sententiam iussit efferre.* (p. 193.) Quo loco Editor versionis Candidi in ea editione, quae Venetiis an. 1477. prodiit, vocabulum *tribus* (puto) pro numerali nomine habens, imperite in ora libri haec verba adiecit: *malus sermo: vacat credo, tribus.*

Ibid. pag. 561. a. Cicero in oratione contra Antonium in Senatu habita, haec dicens inducitur: ἦγεν (Ἀντώνιος) ἐκ Βρεντεσίου καὶ τὸν ἄλλον στρατὸν ἐς τὴν πόλιν, ἅπαντα συντομώτερον, ἐφιέμενος, ὧν ἐπέθυε Καίσαρος· Καίσαρος δὲ αὐτὸν τοῦ υἱοῦ &c. Corruptam esse Graecam phrasin, nemo non videt; neque *Augustanus* Codex laboranti loco ullam adfert medicinam; quam praesentem ex sui exemplaris praescripto exhibet *Candidus*, posteriora verba hoc modo exponens, p. 224. *cum ad ea adspiraret, quae Caesar concupisset*; quae verba quisquis consideraverit, non dubitabit, hoc modo illum locum esse

Digitized by Google

cae Laurentianae Mediceae Praefecti, acceptam refero; qui, quum proxima hieme Romae commoraretur, in ipsa Bibliotheca Vaticana brevem illorum Msstorum recensionem nostri causſa confici curavit, & ad nos pro ſua humanitate transmiſit. Alter, *Codex Vaticanus CXXXIV.* bombycinus eſt, ſatis emendate, nitidis, ſed iis minutiſſimis literarum ductibus, Seculo XIVto, ut videbatur Viro docto, qui iſtam notitiam perſcripſit, conſcriptus. Alter, *Codex Vaticanus CXLII.* chartaceus, ſeculo XVto

reſtituendum: ἦγεν ἐκ Βρ. καὶ τὸν ἄλλον στρατὸν ἐς τὴν πόλιν ἅπαντα, συντομώτερον ἐφιέμενος ἂν ἐπόθει Καῖσαρ. Dixerat paulo ante de Antonio Cicero: *cohortem regiam Brunduſii ſibi adſcivit.* Iam ſubiicit: *reliquum omnem exercitum Brunduſio ad Urbem duxit; viâ magis compendiariâ petens ea, quae Caeſar concupierat.* Scilicet Caeſar *regiam dignitatem* non palam, ſed furtim & per ſubdolas artes adfectaverat: Antonius breviſſimâ viâ, apertâ vi, & *infeſta* ipſi *patriae ſigna inferens* (ut eſt in *Philippica quinta*, cap. 8.) eamdem ad ſe rapere conatus eſt.

Ibid. p. 570. a. ubi pugna Antonii cum Panſa & Hirtio ad Forum Gallorum inter Mutinam ac Bononiam commiſſa exponitur, praeter alia, haec in vulgatis exemplis turbata leguntur: οἱ δ' Ἄρειοι, περιειλημμένοι πάντοθεν, καὶ οὐδαμόσε διαδρᾶναι ἔχοντες, ἐκέλευον, εἰ παραγίνοιντο, μὴ συνάπτεσθαι σφίσι τῶν πόνων, id eſt: *Legionis Martiae milites, circumventi undique, nullo patente effugio, iuſſerunt, ſi adeſſent, abstinere a conflictu.* Facile intelligitur, excidiſſe nomen, quo declaretur, *quosnam* tandem Martii a conflictu iuſſerint abstinere. Illud nomen peropportune ſuppeditat *Candidus*, p. 234. *eos qui aderant*, inquit, *noviter electos* (edit. Venet. *nuper electos*) *nullam laboris partem ſubire admonent.* Quod verba εἰ παραγίνοιντο ita vel legerit vel interpretatus ſit *Candidus*, tamquam ſcriptum eſſet οἳ παρεγίνοντο, id quidem nos morari minime debet, neque illa verba ſollicitanda puto. Sed qui totum locum, in quo verſamur, reſpexerit, eumdemque cum *Candidi* verſione contulerit, ei vix dubium eſſe poterit, quin ſcripſerit Appianus, ἐκέλευον νεήλυδας, εἰ παραγίνοιντο, μὴ συνάπτεσθαι σφίσι τῶν πόνων: *praeceperunt, ut tirones, ubi adveniſſent, a conflictu abstinerent.* Panſa, alter Conſulum, ex caſtris ad Mutinam in Italiam delectus habendi cauſſâ profectus erat:

ſcriptus videbatur. *m*) Utro ex his exemplaribus uſus ſit antiquus Interpres, ac ſit-ne alterum ex illis emendatius multo & caſtigatius, quam id e quo Verſionem ſuam *Candidus* confecit, definire in praeſentia non valeo. *n*) Sed uberiorem eorum Codicum notitiam, cum variarum Lectionum ex iisdem excerptarum ſpeciminibus quibusdam, ab amicitia atque ſtudio politiſſimorum eruditorumque Iuvenum, Cl. ADLERI Altonenſis, BIRCHIique Hafnienſis, qui ſtudiorum cauſſa Romae peregrinantur, propediem exſpecto. *]

CAPUT II.

De Graeca Appiani Editione Pariſienſi. itemque de Codicibus Manuſcriptis Regiis. Mediceo. & Veneto S. Pauli.

§. I. *Editionis Pariſienſis brevis deſcriptio.*

Medio demum ſeculo XVI. primum *graece* APPIANUS in lucem prodiit. Ea editio hanc inſcriptionem praefert: Ἀππιανοῦ Ἀλεξανδρέως Ῥωμαικῶν Κελτικὴ, Λιβυκὴ ἢ Καρχηδονικὴ, Ἰλλυρικὴ, Συριακὴ, Παρθικὴ, Μιθριδάτειος, Ἐμ-

(p. 568. d.) isque iam cum *tironibus*, quos ſaepius Appianus νεήλυδας, *Candidus* autem *nuper electos* adpellat, aderat. Eos autem magis impedimento, quam uſui, ſibi fore exiſtimabant veterani, ſi pugnae illi ſeſe immiſcerent.

m) De aliis Codicibus *Vaticanis*, quibus *Hiſpanica* & *Hannibalica Appiani Hiſtoria* continetur, infra cap. III. §. II. dicetur.

n) *Stephanus* GRADIUS, qui ſuperiori ſeculo Bibliothecae Vaticanae cuſtos interpres fuerat, in *Praefatione* ad novam ſuam *Illyricae Hiſtoriae Appiani Verſionem*, quae *Ioh.* LUCII libris de *Regno Dalmatiae & Croatiae* adiecta eſt, Codicem *Vaticanum* commemorat, quem a ſe cum *Dav.* HOESCHELII editione libri illius *Illyrici* collatum, atque illa haud paulo diligentiorem, & pluribus locis caſtigatiorem inventum eſſe, profitetur. Idem eodem loco alius Msti *Appiani* ex Bibliotheca *Vaticano-Palatina* meminit; cuius nullam mentionem in recenſione Manuſcriptorum a Cel. BANDINIO mecum communicata (in qua

φυλίων ε'. *APPIANI ALEXANDRINI ROMANARUM HISTORIARUM Celtica, Libyca vel Carthiginienſis, Illyrica, Syriaca, Parthica, Mithridatica; Civilis, quinque libris diſtincta. Ex Bibliotheca Regia. Lutetiae, typis Regiis, cura ac diligentia Caroli Stephani.* MDLI. Eâdem formâ, iisdemque nitidiſſimis typis, quibus *Roberti Stephani* Dionyſius Halicarn. & Dio Caſſius, expreſſus eſt Graecus iſte Appianus. Nullum verbum praefandi cauſſâ adiecit Editor. Appiani Libri eodem ordine, quo in inſcriptione enumerati ſunt, ſeſe conſequuntur. *o*) Accedunt in fine duae paginae, tribus columnis quaeque diſtincta, quibus praefixus titulus eſt: *Locorum, qui aliter, quam impreſſi ſunt, in aliis codicibus leguntur, aut legendi videntur, annotationes.*

§. II. *Editores Editionis Parienſis.*

Qui in Titulo huius editionis memoratur CAROLUS STEPHANUS, frater erat *Roberti*, *Henrici* patruus; qui, quum Medicam artem ad id tempus Pariſiis eſſet profeſſus, ſcriptisque etiam de ea arte editis inclaruiſſet, *p*) fratri *Roberto*, cum is in eo eſſet, ut Genevam habitatum concederet, in adminiſtranda Regia Typographia ſucceſſit. *q*)

tamen Codices *Vaticani* a *Vaticano-Palatinis* diſtinguuntur) factam reperio.

[* De *Vaticanis* iſtis *Codicibus*, aliisque nonnullis eiusdem Appiani Msstis libris, quos poſſidebat tunc Vaticana Bibliotheca, (quorum nonnulli dein, ut audio, Pariſios translati ſunt) conferenda ſunt ea quae in *Praefatione ad noſtram Appiani editionem* pag. XXV - XXIX. diximus.]

o) Praemittitur autem *Appiani Prooemium*; cui ſubiecta illa *Anonymi* cuiusdam Adnotatio, qua de *ſelectis Appiani libris*, in duo volumina olim diſtributis, diſſeritur. *Celticae* ſ. *Gallicae* Hiſtoriae non niſi *Epitoma* exhibetur; eadem, quae a *Candido* erat Latine converſa. Nec vero *Illyrica* Hiſtoria tota adeſt; ſed breve eius *Fragmentum*, quo Exordium illius libri, ac ne illud quidem integrum, continetur.

p) Vide MAITTAIRE, in *Hiſtoria Stephanorum*, p. 174.

q) Quonam tempore Pariſiis Genevam demigrarit *Rob. Stephanus*,

Digitized by Google

Quamvis autem non nisi *Carolum* Editorem inscriptio libri declaret; haud nullas tamen, neque postremas, partes in ea editione procuranda ipsius ROBERTI STEPHANI fuisse, filio huius *Henrico*, diserte illud testatum facienti, credere fas est. *r*)

§. III. *Duo Codices Manuscripti, ad eam adornandam Editionem adhibiti.*

Primam hanc Appiani graecam editionem quum corruptarum mutilarumque Lectionum incredibili multitudine intellexissem scatere, in quarum singulis minime probabile erat duos diversos Codices consensisse; facile inducebar, ut cogitarem, non nisi *unici Exemplaris* usum Editoribus fuisse concessum: *s*) illudque ipsum eo magis mihi persuaseram, cum quod de singulari illa diligentia non subierat dubitare, quam *Rob. Stephanus* (cuius auspiciis hanc prodiisse editionem cognoveram) ad libros a se editos ab operarum erratis purgandos adtulisse perhibetur; tum quod memineram id quod de eiusdem *Rob. Stephani* cautione in edendis eis Auctoribus, quorum non nisi unicum exemplar ipsi suppeteret, commemoratur, *ea*

non nimis quidem adcurate constat: sed hoc certe *Maittairius* (Hist. *Stephan.* p. 69 sq.) ostendit, eodem anno MDLI. quo Appani editio illa procurata est, *Robertum Stephanum* adhuc, suo nomine, *Typis Regiis*, Iustini Martyris opera edidisse; atque etiam sub finem eiusdem anni Corderii libello, de corrupti sermonis emendatione, prid. Calend. Decemb. quo die Parisiis absoluta est eius libelli repetita editio, nomen suum cum titulo *Typographi Regii* subscripsisse.

r) *Henr. Stephanus* in Epistola ad Lectorem, Annotationibus suis in Appianum a se editum praemissa: *Appianus*, inquit, *primum* ROBERTI STEPHANI *patris mei & patrui* CAROLI STEPHANI *opera (etiamsi patrui tantum nomen frons libri praeferat) in lucem prodiit Parisiis.* Idem, in Praefatione ad Lectorem, contextui Appiani praefixa: *Hinc factum est*, inquit, *ut quum Dionem pater meus Rob. Stephanus edidisset,* APPIANUM *postea patruus meus Carolus Stephanus, paucis post annis, patris mei auspiciis, sicut etiam ex eitsdem officina, in publicum emiserit.*

Digitized by Google

religione fuiſſe eruditum illum Typographum, *ut omnes & ſingulas ſui Codicis Lectiones, quamquam corruptiſſimas & facile emendandas, ſtudio exhibuerit.* *t*) Ac licet ad calcem huius eiusdem editionis diverſae Lectiones ex alio Exemplari adferantur; ſatis tamen cauſſae mihi videbar habere, cur mihi perſuaderem, ſi quod aliud diverſum exemplar in manus Editorum incidit, illud non niſi abſoluto iam opere, ac leviter quidem & negligentius, fuiſſe ab eis inſpectum. *u*)

Sed ex quo *duos Pariſienſes* Appiani *Codices, utrumque* hodie *Regium*, cum impreſſo exemplari conferendi poteſtas mihi otiumque datum eſt; cognovi demum, id quod in Editorum ſaltem laudem vellem ſecus poſſem adfirmare, Editionem illam Pariſienſem ex his iisdem duobus Codicibus, inter ſe collatis, eſſe confectam. Eorum Codicum alter, quem literis *R. a.* (id eſt, *Regium primum*) deſignabo, hodie Codex *Regius Graecus MDCLXXXI.* numeratur, atque in Catalogo Codd. Mss. Biblioth. Reg. *Fontebland enſis* cognominatur, ſeculoque XVIto *Chriſtoph. Aweri* manu exaratus proditur. *x*) Alter, quem literis *R. b.* deno-

s) Quam ſententiam quum in *Praefatione* ad *Exercitat. in Appianum* pag. 7. profeſſus ſim; quae ibi dicta ſunt, ea ex hoc loco erunt corrigenda.

t) Id de Dionis Caſſii quidem editione totidem verbis affirmavit *Reimarus*, in Praefat. ad Dionem, §. 2. pag. IX. atque ita plerisque vulgo perſuaſum eſſe video. Sed vereor, ne paulo ſecus eam rem ſe habere deprehenſurus ſit, ſi quis laborem denuo conferendi Codicem illum Dionis, quo *Robertus* uſus eſt, ſusceperit.

u) Subinde etiam nata mihi ſuſpicio erat, diverſas illas lectiones non niſi ex ea varietate fortaſſe ductas eſſe, quae *ad marginem Mſstorum* ſaepe adnotata deprehenditur.

x) Codex ille, quemadmodum paulo ante Dionyſii Halic. & Dionis Caſſii exemplaria, ex *Regia Bibliotheca*, quae eo tempore *Fontebland i* (vel *Fonte Bliaudi*) cuſtodiebatur, cum *Stephanis* fuerat communicatus. Idem regium exemplar *Florentiâ* ad Ludovicum XII. Galliae regem, Reipublicae nomine, fuiſſe olim trans-

Digitized by Google

tabo, olim *Colbertinus* fuerat, hodie *Regius MDCLXXXII.* eſt; nec ipſe ſeculo XVI. antiquior. *y*) Uterque pariter eosdem plane *Appiani* libros, quos Pariſienſis Editio, cum eâdem *Celtici* libri Epitomâ, eodemque libri *Illyrici* fragmento, cum eâdem denique *Anonymi* de *ſelectis Appiani libris* Adnotatione, quae Prooemio Auctoris ſubiecta eſt, continet. Ordo quidem, quo hae res in illis Msstis ſeſe excipiunt, paululum differt ab eo, quem Editores Pariſienſes tenuerunt: nam in utroque Msto poſt *Celticae* hiſtoriae Epitomen, *Syriaca* hiſtoria ponitur ante *Punicam*, tum *Illyricae* Fragmentum, *Parthica*, *Mithridatica*, *de Bellis Civilibus Libri V.* In utroque autem exemplari praeterea inter *Celtici* libri Epitomen & *Syriacam* hiſtoriam inſerta eſt illa alterius *Anonymi* de *XXII. Hiſtoriarum Appiani Li-*

miſſum, teſtis eſt *Claudius de Seyſſel*, in Epiſtola ad Ludovicum XII. *Gallicae Verſioni* hiſtoriarum Appiani praemiſſa.

y) Hoc eodem exemplari, diu ante quam *Colberti* ornaſſet Bibliothecam, uſus erat olim *Lazarus* ille *Bayfius*, qui *de re Veſtiaria*, ac *de re Navali* veterum Graecorum ac Romanorum peculiares edidit libellos, pluraque ſimilis argumenti partim ſcripſit, partim ſcripturus erat, ni morte fuiſſet praeventus. Is *Venetiis*, qua in urbe circa an. 1530. Orator regis Galliae apud Rempubl. fuerat, Codicem illum Lutetiam adtuliſſe videtur. Nam in Epiſtola ad Franciſcum I. Galliae regem, Libello *de re Navali* praefixa, profitetur, ſe, Venetiis quum eſſet, e Graecorum Latinorumque monumentis, quidquid ad rem navalem pertineret, collegiſſe: quorum in Auctorum numero *Appianum* fuiſſe, nondum eo tempore typis vulgatum, ex eo conſtat, quod in eodem quem dixi libello, an. 1536. edito, complura loca ex hoc ſcriptore, adpoſitis ipſius auctoris Graecis verbis, adduxerit. Eſſe autem illa loca ex hoc ipſo, quod dico, exemplari citata, non ſolum inde intellexi, quod lectiones nonnullae cum lectionibus huic msto propriis conveniunt, ſed & quod in eodem exemplari omnia ea loca, quae paſſim in *Bayfii* libellis citantur, cum plurimis aliis ſimilis argumenti, peculiaribus ſignis (velut, quae de *re navali* agunt, litera *N.* quae de *veſtimenti* cuiusdam genere, literis *Veſt.* quae de *re militari*, literis *Mil.* &c.) in margine denotata ſunt. Eodem exemplari, forte quod commodato a *Bayfio* acceperit, uſus eſt *Guil. Budaeus*; qui

bris Adnotatio, de qua alio loco dixi; ζ) cui, neſcio quo caſu, quove conſilio, locum nullum Editores in Impreſſis conceſſerunt.

§. IV. *Conditio illorum Msstorum, atque Editionis ex iisdem confectae.*

Codex *Fonteblandenſis* non modo elegantiori manu, verum etiam maiori fide ac diligentia, ſed ex paulo depravatiori exemplari, deſcriptus videtur. *Colbertini* codicis ſcriba inſignem ubique negligentiam prodidit, ac praeſertim in illud fatale librariorum vitium, tantum non quavis occaſione, incidit, ut, ubi aliquot verbis aut etiam lineis interiectis idem vocabulum recurrit, ibi omnia intermedia omiſerit; *a*) ſed hic ex caſtigatiori paulo emen-

etiam ſua manu, eleganti ſcriptura, pallidiuſculo colore, plura loca ex ſua coniectura, ſatis ſaepe felici, in eodem emendavit; quarum emendationum ſpecimina etiam nonnulla in Indice variarum lectionum ad calcem edit. Pariſ. literis *Bud.* notata adferuntur. Scilicet idem doctiſſimus *Budaeus*, quum in priori *Commentariorum linguae Graecae* editione, quae an. 1529. prodierat, Graecos Appiani libros nondum cognitos habuiſſet, in altera dein eiusdem libri editione, quae poſt mortem eius an. 1548. ex ipſius *Budaei* ſchedis multo auctior prodiit, frequentia Scriptoris noſtri loca citavit. Denique non diverſum videtur hoc exemplar ab illo eſſe, quod ex Catalogo Librorum Msstorum eruditi Praeſidis *de Mesmes* in *Bibliotheca Bibliothecarum* Tom. II. pag. 1326. his verbis commemoravit *Montfauconius: Appianus Alexandrinus, Grec. in fol. ſur papier.* Sane niſi hoc ipſum illud exemplar eſt; ſcire vehementer cuperem, quorſum illud evaſerit.

ζ) Exercitat. in Appian. Sect. III. not. *d.*

a) Eae lacunae, maximam partem, praeſertim inde a medio fere Codice usque ad finem Lib. II. *de Bellis Civil.* ex Codice *Fonteblandenſi* in margine huius Codicis completae ſunt. Atque plurimis inſuper locis, praeter illa quae a *Budaeo* ſunt emendata, lectiones *Colbertini* huius Codicis ad eiusdem *Fonteblandenſis* praeſcriptum, ſatis infeliciter ſaepius ac praeter rationem, mutatae ſunt; quae quidem mutationes ab ipſis *Stephanis*, aut eorum iuſſu, cum *Appiani* editionem pararent,

Digitized by Google

datiorique exemplari ſuum Appianum videtur deſcripſiſſe. Caeterum quemadmodum omnia eadem (tam *Appiani Libros*, librorumque ſive *Excerpta* ſive *Fragmenta*, quam duorum *Anonymorum* quas dixi *Adnotationes*) pariter uterque Codex, ac ſingula quidem *eâdem prorſus ſerie*, continet; ita & in quam plurimis ſive mutilis lectionibus, ſive quovis modo corruptis, mire inter ſe ambo Codices conſentiunt. *b*) Eiusmodi autem locorum in utroque exemplari pariter corruptorum tanta copia eſt, ut parum utique dixerim, ſi ſexcentos & ultra eſſe dicam. Quibus eisdem in locis contagium lacunarum caeterarumque depravationum ſimiliter etiam occupaſſe Editionis Pariſinae exempla, id quidem neque mirandum magnopere eſt, neque vitio verti primis illis Editoribus ullo modo debet. Vellem, alia veriori graviorique culpa liberare eosdem Edi-

factae videntur. In *Fonteblandenſi* exemplari multo rariores lacunae ſunt: & quae in eo occurrunt, eas, paucis exceptis, cum illo communes habet *Colbertinus* Codex.

b) Quare, quamquam non ex uno eodemque exemplari immediate, ut aiunt, ac proxime hi Codices deſcripti ſunt; tamen ambo non nimis longe a *communi* pariterque corrupto *fonte*, e quo manarunt, remoti eſſe videntur.

c) Ex tota omnino ratione, qua haec editio procurata eſt, facile intelligitur, neque *Robertum Stephanum*, utpote graviſſimis turbis per ea ipſa tempora implicitum atque iactatum, neque *Carolum* fratrem, qui novus tunc ad eam adminiſtrandam provinciam vocatus, atque etiamnum fortaſſe Medicae artis occupationibus diſtrictus erat, non eam curam ac diligentiam in hanc adornandam *Appiani* editionem contuliſſe, quae a *Stephanorum* nomine alioquin exſpectari ſolet.

d) Ac promiſcue quidem mox unius, mox alterius Codicis lectionem, prout quaeque magis probanda videbatur, ſelegerunt editores: ſed tamen in priori parte operis, ab *Exordio* usque fere ad finem libri ſecundi *de Bellis civil.* exemplaris *Fonteblandenſis* potiſſimum auctoritatem ſunt ſecuti; in reliqua parte, *Colbertini* veſtigiis (puto, quod in progreſſu operis intellexiſſent, complures probatiores lectiones eum offerre) prcſſius inhaeſerunt.

e) Specimina quaedam *pravarum mutilarumve lectionum*, quae ex

tores poſſem; quam culpam nimis ſaepe ab iis commiſſam eſſe, ex collatione eorumdem Codicum, quos illi ante oculos habuerant, abunde intellexi. *c*) Scilicet, quamquam ad ſeligendas ex utroque Codice lectiones, quas in contextum reciperent, probatum plerumque iudicium adhiberunt; *d*) tamen incredibile eſt, quam multis in locis, in quibus differebant Codicum lectiones, operam dediſſe videantur, ut eam ſeligerent lectionem *Appiano*que tribuerent, quae perſpicue falſa ac corrupta erat, poſthabitâ ac ne in *Indice* quidem *variarum Lectionum* indicatâ alterâ, quae vel citra omnem dubitationem tamquam vera in contextum recipienda fuerat, vel quae verae lectionis veſtigia ſaltem clariſſima oſtendebat. Saepe etiam *ab utriusque exemplaris conſentiente* atque proba *ſcriptura*, ſive conſilio, ſive caſu, temere certe ac praeter rationem, disceſſum eſt. *e*)

utriusque Codicis conſenſu in *vulgatum* contextum receptae ſunt, ſupra cap. I. §. III. & IV. a nobis adlata ſunt; alia nonnulla eiusdem generis deinceps Cap. IV. ubi de *Auguſtano* Codice dicetur, breviter commemorabuntur. En ex magno numero pauca quaedam eiusmodi locorum ſpecimina, in quibus *corrupta alterius Msti lectio* nullo negotio *ex altero* potuerat *emendari*; aut ubi ab *utriusque Cod.* proba lectione *temere diſceſſum eſt.*

Hiſtor. Lybic. pag. 13. b. lectio mente caſſa, ἐλαύζετο ἐς τὰς ἄλλας τροφὰς, ex *R. a.* expreſſa eſt. Veram lectionem offerebat *R. b.* ἐλαύνίζετο ἐς τὰς τροφάς: *commeatus cauſſa praedas agebat, commeatum ex praeda ſibi comparabat.*

Ibid. pag. 19. a. Ναύαρχον . . ὁρμῶντα περὶ τὴν Ἀπόλλωνος ἄκραν. *R. b.* ὁρμοῦντα dabat: quam ſcripturam *Henr. Stephanus* ex ingenio recepit. Commutandis inter ſe duobus illis verbis, ὁρμᾶν & ὁρμεῖν, ſaepius halucinati ſunt Editores noſtri.

Ibid. p. 22. d. Οὕτω μὲν οἱ διετετάχατο τῷ Σκιπίωνι. Nomen πεζοὶ, quod poſt οἱ excidit, ſuppeditare poterat idem *R. b.*

Ibid. p. 59. a. eo loco, cuius emendationem in *Exercit.* p. 49 ſq. propoſuimus, pro vitioſo κοινὸς, *R. b.* perſpicue κυνὸς habet, atque eodem modo in *R. a.* ex κοινὸς emendatum eſt.

Hiſtor. Mithrid. p. 180. d. Πολλὰ καὶ αὐτῆς Ἰταλίας, ὅσα . . πολεμεῖν νῦν πόλεμον ἄπιστον. Illud πολεμεῖν in edit. *Pariſ.*

§. V. *De Codice Manuſcripto Appiani Mediceo, itemque de Veneto SS. Ioh. & Pauli.*

Exſtant praeterea *in Italia* duo manuſcripta *Appiani* exemplaria, alterum *Florentiae*, alterum *Venetiis*, omnia eadem, quae *Pariſienſes* Codices habent, eadem prorſus ſe-

operarum erratum eſt, pro quo recte *Henr. Stephanus* πολιμεῖ poſuit. Poſteriora verba *Candidus* pag. 648. h. m. convertens: *indeſinente vobiscum proelio decertant*, ſatis declarat, ſe in ſuo exemplari quidvis potius, quam ἄσπιστον legiſſe. *Auguſtanus*: πολεμεῖ νῦν ὑμῖν πόλεμον ἄσπιστον. Bene quidem, quod ὑμῖν inſerat; ſed poſtrema vox ex *R. b.* emendanda: πόλεμον ἀσπείστον, *irreconciliabile bellum, nullas amplius σπονδὰς admittens.* Eadem voce & alibi, & hoc ipſo libro *Mithrid.* pag. 217. c. uſus eſt idem Appianus.

Civil. IV. p. 592. a. ἀδελφοί τε καὶ ξεῖοι προγραφέντων, operarum vitio expreſſum poterat videri; ni ex *R. b.* receptum viderem. Recte vero *R. a.* προγραφόντων, *proſcribentium*: conf. *Noſtrum*, p. 595. d.

Ibid. p. 615. b. Proſcriptus aliquis clam in Urbem ad ſuos redire tentans, *haud procul a porta cum abeſſet, vidit armatorum cohortem procurrere*, καὶ πρὸς τὸ σύγκριμα τοῦ τόπου καταπλαγεὶς, συγκεκρύφθαι . . . . ἐν τάφῳ. Sic ex *R. a.* editum. At, pro συγκεκρύφθαι, verum indicare potuerat *R. b.* qui συνεκρύφθαι dat, ex συνεκρύφθη leviuscule corruptum. Pro σύγκριμα, *Aug.* συγκήρημα: unde συγκύρημα ſcripſiſſe *Appianum* intellexeram, quum eamdem denique ſcripturam in *R. b.* perſpicue expreſſam invenirem. Συγκύρημα autem non ſimpliciter eſt *caſus* quidam, aut *id quod accidit*; ſed *momentum* aut *circumſtantia*, ut vulgo dicimus, *cum alia re concurrens, ad eam rem de qua agitur accedens.* Conf. *Noſtrum* in *Prooem.* p. VIII. a. (Edit. *Toll.* p. 10 *med.*)

Ibid. p. 634. d. In Xanthi obſidione quidam adnexos *reſtibus uncos eiaculabantur in moenia, ac quoties uncus aliquis infixus haereret, ἐς αὐτοὺς ἀνίμων.* Recte *R. a.* ἑαυτοὺς, *ſe ipſos ſurſum trahebant.* Ea quidem lectio ad calcem edit. *Pariſ.* adnotata eſt.

Ibid. pag. 653. a. ἐσέπεμψε λόχους ὀρθίους. Sic male ex *R. b.* editum, neglecta vera lectione ὀρθίους, quam offerebat *R. a.* Ὀρθίους λόχους eſſe *agmen longis ordinibus, exigua ſerierum*

Digitized by Google

rie continentia. *Florentino-Medicei* Codicis, qui ſeculo XV. ſcriptus perhibetur, notitia ſatis ampla in MONTEFALCONII *Bibliotheca Bibliothecarum manuſcriptorum f*) reperitur; pleniorem etiam amplioremque BANDINIUS V. Cl. in *Catalogo Codicum Graecorum Bibliothecae Laurentianae* de-

latitudine, procedens, Tactici docent; *Aelianus* c. 29. *Arrianus* cap. 36. Conf. *Suidam* voc. ὄρθιος & voc. ἐπικαίρως.

Ibid. p. 633. c. Xanthiorum urbs foſſâ latiſſimâ altiſſimâque erat munita. Hanc foſſam Brutus ἔχων βιαζόμενος. Sic ſine ſenſu verba ex *R. a.* expreſſa. Quam pronum fuerat, ἔχου ex *R. b.* reponere! ſic omnia plana fuiſſent. *Foſſam illam vallo cinxit Brutus.* Quo opere incredibili celeritate perfecto, iam Xanthii, ut mox *Appianus* declarat, obſidione clauſi tenebantur. Sed & ſaepe alias verbum illud χοῦν fefellit Editores noſtros. Eodem Libro, pag. 624. c. καὶ διὰδιὰς (ſcil. Caſſius ad Laodiceam) μὴ αὐτὸν ὁ Δολοβέλλας διαφύγοι, τὸν ἰσθμὸν ἔχων, διστάδιον ὄντα. Ibi *neuter Codex* mendoſam iſtam ſcripturam praeferebat; ſed illud ſenſu caſum ἔχων in locum parcius detorti ἔχον, quod erat in *R. b.* ſubſtituere maluerunt Editores, quam alterius Codicis *R. a.* perſpicuam ac veriſſimam lectionem, ἔχου, adoptare. Alibi (*Pun.* pag. 74. e.) iterum vitioſe ἔχει pro ἔχου, conſentientibus quidem msstis expreſſum eſt; ſed mox eodem loco, ubi pro ἔχου δὲ uterque Codex alio errore ἔχει δὲ habet, illud in ἔρριδε mutaverunt Editores.

Civil. V. p. 693. e. Codex *R. a.* recte ἐπειρώμην habebat; *R. b.* levi errore ἐπιρώμην, ex quo praeter omnem rationem ἐπὶ Ῥώμην editum eſt.

Ibid. p. 720. a. Recte *uterque Regius* ἀνεδήσατο, id eſt, *captam navim religavit*; id perperam in ἀνεδύσατο mutatum eſt. *Eadem pag.* d. Πομπήϊον ἐπὶ Μεσσήνην κατειλήφει. At *uterque Reg.* recte περὶ dabat. Iterum p. 735. a. ἐπὶ δείλην ἑσπέρας: ubi *uterque Mstus liber* recte περὶ exhibebat. Idem vitium ſaepe aliâs commiſſum eſt. Sed huiusmodi exemplorum copia, non ſolum eorum, ubi ex *altero Codice* emendari prava *alterius Codicis* ſcriptura potuerat, verum etiam ubi in locum *probae* ſcripturae, in quam *uterque Codex* conſentiebat, pravam poſuerunt *Pariſienſes Editores*, iuſti libri in molem poſſet cumulari. Plura autem hoc loco colligere, nec inſtituti noſtri ratio poſtulat, nec libelli modus concedit.

f) Tom. I. pag. 377.

Digitized by Google

dit. *g*) Alterius exemplaris, quod & ipſum ſeculo XV. (ſub finem eius ſeculi) a *Caeſare Stratego* ſcriptum eſt, & *Venetiis* in *Bibliotheca Dominicanorum SS. Iohannis & Pauli* ſervatur, MONTEFALCONIUS in *Palaeographia graeca* meminit; *h*) ſed eiusdem curatiorem paulo notitiam ſtudio ac benevolentiae eruditi Iuvenis *Iohannis Pauli* BLESSING, Ulmenſis, qui Venetiis hodie commoratur, acceptam refero. *i*) Ex *Mediceo* Codice, pro ſua humanitate & literas iuvandi ſtudio, Cel. BANDINIUS *Prooemium Appiani* & paginas aliquot ex Libro III. *de Bellis Civilibus*; *k*) ex *Veneto* Codice BLESSINGIUS idem *Prooemium Appiani*, cum *impreſſo* exemplari collatum, mecum communicavit. Quorum ex locorum collatione intellexi, emendatiores quidem paulo *Pariſienſibus* eſſe *Italicos* illos Codices; *l*) caeterum in plerisque cum eisdem convenire, atque ad eamdem cum his familiam eſſe referendos. Quum *Fonteblandenſis* Codex *Florentiâ* olim fuerit a *Medicis* Lutetiam transmiſſus, *Colbertinus* autem *Venetiis* eodem pervenerit; cui rei illud accedit, quod uterque *Italicus* Codex paulo vetuſtior ſit utroque *Pariſienſi*; ſuſpicatus eram, ex *Mediceo* fortaſſe *Fonteblandenſem*, ex *Veneto SS. Ioh. & Pauli Colbertinum* fuiſſe transſcriptum: ſed ex collationum ſpe-

g) Tom. II. col. 659 ſqq.

h) Pag. 82. Conf. ib. p. 96.

i) Ab hoc, ut cum ea in re, tum in aliis, bene de *Appiano* noſtro vellet mereri, impetravit Vir mihi antiqua amicitia ac fide coniunctiſſimus *Chriſt. Fridr.* SCHNURRER, in Acad. Tubing. Graecae & orientalium linguarum Profeſſor, cuius olim auditor *Bleſſingius* fuerat.

k) Is locus eſt, *Civil.* III. p. 569. c. d. usque ad p. 572. b. narrationem pugnae Hirtii ac Panſae cum Antonio inter Mutinam atque Bononiam complectens. Eumdem locum ſimul ex alio *Mediceo* Codice, qui non niſi tres poſteriores libros *de Bellis civil.* complectitur, noſtri cauſſâ, ut neque illius Codicis ſpecimine careremus, idem Vir doctiſſimus conferendum curavit.

l) Inter probas tamen lectiones, quas ex illis Codicibus enotatas reperi, nulla eſt, quam non eamdem, cum larga aliarum probatarum lectionum ſegete, ſuppeditet *Auguſtanum* exemplar.

Digitized by Google

ciminibus, quas ex illis nactus sum, nihil certi de ea re adhuc quidem audeo definire.

CAPUT III.

De Editionibus ac Codd. Mss. singulorum quorumdam Appiani librorum, aut ex scriptis eius Excerptorum.

§. I. *HISPANICA & HANNIBALICA Appiani Historia, ab HENR. STEPHANO primum edita.*

Praeter alios *Historiarum Appiani* libros iamdiu deperditos, *Parisienſis* illa Editio (cum Regiis Codicibus & omnibus, quotquot hodie exstant, quae reliquos Appiani Libros continent, manuscriptis exemplaribus) caret *Libro Iberico* atque *Hannibalico*: quorum alter exsequebatur historiam rerum a Romanis in Hispania gestarum; alter belli ab Hannibale in ipsa Italia Romanis illati historiam exponebat. Duo illi libri primum ab HENR. STEPHANO, *Roberti* filio, An. MDLVII. in forma *octava* in lucem editi atque *Historüs ex Ctesia, Agatharchide & Memnone excerptis* subiecti sunt. *m*) Exemplar mstum, ex quo illos libros edidit Stephanus, ita mendosum miserequepravatum erat, ut de illo emendando atque de editione eorum Librorum ex illo Ms. adornanda diu prorsus desperaverit Editor. *n*) Tandem vero pertinaci studio ac labore, va-

m) Ἐκ τῶν Κτησίου, Ἀγαθαρχίδου, Μέμνονος, ἱστορικῶν ἐκλογαί. Ἀππιανοῦ Ἰβηρικὴ καὶ Ἀννιβαϊκή. *Ex Ctesia, Agatharchide, Memnone excerptae historiae. Appiani Iberica. Item, de gestis Annibalis. Omnia nunc primum edita. Cum Henr. Stephani castigationibus.* Ex officina Henr. Stephani Parisiensis typographi. An. M. D. LVII. Idem libellus, an. 1594. eadem forma *octava* recusus prodiit.

n) Multis atque gravibus verbis miseram conditionem illius exemplaris depinxit *Stephanus* in *Praefatione* huius editionis; atque iterum in fine *Castigationum* libello subiectarum p. 235. *Quaecumque*, inquit, *corrumpendae scripturae ratio ab ullo homine fingi aut excogitari potest, a nostro librario nequaquam praetermissam fuisse existimato.*

Digitized by Google

ria *Appiani* loca inter se conferendo, reliquisque criticae artis praesidiis adhibitis, effecit, ut satis emendatos eosdem libros, quoad quidem sine melioris cuiusdam Codicis subsidio fieri poterat, ederet. Potiorum ex iis emendationibus, quas graeco contextui adtulit Stephanus, rationem ipse reddidit in *Castigationibus*, quas ad calcem libelli adiecit, in quibus iisdem aliorum quorumdam locorum emendationem ex coniectura proposuit. Sed sexcenta praeterea (quod in fine earumdem *Castigationum* profitetur) in contextu emendavit errata, de quorum singulis & valde longum ac taedioſum & supervacaneum ei visum erat mentionem facere.

§. II. *Subsidia ad emendationem istorum Librorum quaerenda. Codices Vaticani, & Mediceus.*

Quamquam illo *Henr. Stephani* studio effectum est, ut minus vitiose editi sint hi *duo Appiani Libri*, quam illi, qui *Car. Stephani* editione continebantur; largam tamen emendationum messem, ex earum etiam numero, quae citra melioris codicis subsidium, ex sola criticae artis ratione, his iisdem Libris adferri possint, futuri editoris sive diligentiae sive ingenio reliquam fecit *H. Stephanus*. Quo accedit, quod ea loca, quorum ad emendationem necesse fuerat aliorum veterum Scriptorum loca conferre, plane intacta Stephanus reliquerit. Sed quoniam in denuo edendis libris, ex tam depravato codice primum vulgatis,

o) Video quidem, *Caelium Secundum Curionem*, qui Basileae an. 1554. *Gelenii* novam versionem Latinam Appiani edidit, Graecum exemplar habuisse *Hispanicae* Appiani historiae, cuius Latinam versionem versioni *Gelenii* adiecit; sed quorsum illud pervenerit exemplar, multum licet passim percontatus, non potui comperire.

p) Tom. II. col. 685. Est Codex XXVI. Plutei LXX.

q) Huius atque reliquorum *Vaticanorum* Appiani Codicum notitiam Cel. BANDINII humanitati me debere, iam supra monui cap. I. §. v. Sunt autem, praeter hunc, *Codices Palatino-Vaticani* LI. LXI. & LXX. eosdem Appiani libros continentes, sed

Digitized by Google

haud poſtrema novi editoris cura haec eſſe debet, ut meliora circumſpiciat Mssta exemplaria, e quibus tutius, quam ex coniectura, emaculari corruptus textus poſſit; minime poſthabendum illud ſubſidium duxi. Ac cis Alpes quidem nullum veſtigium manuſcripti cuiusquam Codicis, qui quidem hodie exſtet, quo duo illi Appiani libri contineantur, deprehendere mihi contigit. *o*) Sed *Florentiae* in *Mediceа* Bibliotheca ſervari Codicem membranaceum, ſeculo XV. nitide ſcriptum, qui eosdem libros complectitur, ex BANDINII *Catalogo* illius Bibliothecae conſtat. *p*) *Romae* item, in *Vaticana* Bibliotheca, praeter recentiores nonnullos ac minoris momenti Codices, qui in *Palatino-Vaticana* ſervantur, eſt *Codex Vaticanus CXLI*, membranaceus, Seculo XIII. conſcriptus, qui *Appiani Prooemium*, eiusdemque hiſtoriam *IBERICAM ſ. Hiſpanicam*, *HANNIBALICAM*, *& Punicam* continet. *q*) Ex illo *Vaticano* antiquo exemplari *Varietatem Lectionum* diligentia doctorum Adoleſcentium ADLERI BIRCHIique, quorum promptiſſimum de *Appiano* noſtro bene merendi ſtudium iam ſupra *r*) laudavi, enotatam propediem exſpecto. *s*)

§. III. *Excerpta ex Appiano de Legationibus. Bavaricum Exemplar Ms. illorum Excerptorum.*

Anno M. D. LXXXII. Antwerpiae ex officina Plantini inter *Excerpta de Legationibus* ex Polybio aliisque ſcripto-

ii ſeculo demum XVII. ſatis negligenter ſcripti. Eſt denique alius, *Ottobono-Vaticanus*, num. XLV. ſeculo XVI. haud male deſcriptus.

r) Vide Cap. I. §. V.

s) Illam ex antiquiſſimo exemplari, quod quidem de ulla parte Hiſtoriarum Appiani hodie ſupereſſe conſtat, excerptam lectionum Varietatem ubi obtinuero; tum vero cognoſcam, opus-ne etiam tum futurum ſit, ut eiusdem, quem ſaepius iam officii ac honoris cauſſa nominavi, BANDINII V. Cl. benevolentia abutar, qui exemplaris *Medicei* collationem ſe ad me, ſi ita videretur, transmittendam curaturum eſſe, mihi recepit. --- [* De *Vaticani codicis* collatione vide Praefationem noſtram ad

ribus ſelecta, ſimilia *Excerpta ex Appiani novem prioribus Libris*, quorum librorum plerique interciderunt, ex *Fulvii Urſini* Bibliotheca, cum eiusdem URSINI *Notis*, in lucem prodierunt. *t*) Illa Excerpta, quae ad hunc diem nulli Editioni Appiani adiecta ſunt, minime negligenda arbitror novo illius Scriptoris editori. Quorum in Excerptorum editione *Urſinus*, quum nonniſi uno eoque non ſatis emendato uſus eſſet codice, multas quidem exemplaris ſui mendas erudite ac feliciter ſuſtulit, emendationumque ſuarum in *Notis* adiectis ſaepius reddidit rationem. Sed multos etiam errores intactos reliquit; multa item ſic mutavit, ut vehementer dolendum ſit, quod ipſam exemplaris manuſcripti lectionem, quam mutandam putaverat, ſaepius non indicaverit lectoribus, quo poſſent ipſi per ſe iudicare, opusne omnino mutatione aliqua fuerit? aut anne commodior forte alia veriorque corrupto loco emendatio fuerit adferenda? Quo maiori ſtudio equidem occaſionem anquiſivi, *Excerpta* illa ad vetuſti alicuius *Codicis manuſcripti* fidem, ſi quis hodie exſtaret, conferendi: neque irritum fore illud meum ſtudium confido. Nam cum in SE-

Appian. p. XXVIII. De BANDINII collatione, quam dein nactus ſum, eorumdem Appiani librorum cum *Mediceo codice*, dixi in eadem Praefatione p. XXII ſeq.]

t) De illis *Excerptis* dixi in *Exercitat.* Sect. IV. §. v.

u) In *Catalogo Graecorum manuſcriptorum Codicum Bibliothecae Sereniſſimi Bavariae Ducis* pag. 75. num. CCIV. his verbis Codex ille commemoratur: *De Legationibus variarum gentium ad Romanos, ex diverſis Hiſtoricis, Arriano, Appiano, Malchio Rhetore Philadelphiorum, & aliis. Chart. fol.* Eiusdem mentionem fecit *Montfaucon* in *Biblioth. Biblioth.* Tom. I. p. 591. Idem videtur Codex eſſe, e quo *Eclogas de Legationibus*, poſt *Urſinum*, edidit *Dav. Hoeſchelius*, omiſſis illis quae ab *Urſino* iam edita fuerant. *Hoeſchelius* certe in Praefatione declarat, illas ſuas *Eclogas* partim ex Sereniſſimi Maximiliani Boiorum Ducis Bibliotheca in lucem a ſe eſſe protractas. -- [* De illo *Bavarico Codice manuſcripto Excerptorum de Legationibus*, (qui mox deinde ipſius Seren. Bavariae Electoris tunc imperantis iuſſu ad me transmiſſus eſt, dixi in Praefat. ad Appian. p. XXX - XXXII. & paulo

Digitized by Google

RENISSIMI ELECTORIS AC DUCIS BAVARIAE Bibliotheca *Monachii* exſtet manuſcriptum Exemplar, quo illa ipſa, de quibus quaerimus, *ex Appiano Excerpta* continentur; *u*) eius Codicis uſum gratioſe mihi conceſſum iri, ſpes mihi certa oſtenſa eſt.

§. IV. *Illyrica Appiani Hiſtoria.*

Exeunte ſeculo XVI. an. M. D. IC. Auguſtae Vindelicorum DAVIDES HOESCHELIUS *Illyricam* Appiani hiſtoriam ex eodem Codice msto Bibliothecae Auguſtanae, cuius uſura nobis conceſſa eſt, *Graece* primus integram edidit. *x*) Satis emendate hic liber ex optimo illo Codice edi poterat. Sed & in hocce libello me iuvit, quod *illud ipſum Exemplar*, ex quo editus eſt, cum *Impreſſo* licuit conferre. Caeterum quum vel ſic loca in eodem libro nonnulla parum ſana occurrant, quibus medicinam ex aliorum Codicum collatione adferri poſſe ſperavi, miſi ad eumdem, quem ſupra (Cap. II. §. 5.) laudavi, BLESSINGIUM *Venetias* exemplum huius libelli manu mea ex Hoeſcheliana editione deſcriptum; quod exemplum ille, cum *Codice msto Bibliothecae S. Marci y*) ipſius ſtudio collatum,

etiam uberius in Praefatione ad Polybium, Tomo II. editionis noſtrae Polybii, p. XXIV-XXVII. Eiusdem etiam Codicis paulo ſuperius mentionem feci in *Exercitat. in Appianum*, Sect. V. num. III. in his quae ad not. *h.* nunc primum adiecta ſunt, p. 48.]

x) *Appiani Sophiſtae Alexandrini Illyrica, quorum hactenus non niſi fragmentum exſtabat, e Codd. Mss. Reipubl. Auguſtanae a Dav. Hoeſchelio Aug. Graece nunc primum edita. Aug. Vindel.* MDIC. Libellus non amplius novem foliis in forma *quarta* conſtans. Quod autem *Codd. Mss.* in multitudinis numero dicat *Hoeſchelius*, id non ita interpretandum, tamquam pluribus huius libri exemplaribus Mss. uſus ſit; nihil aliud niſi hoc dicit, ex *Bibliotheca* CODICUM MANUSCRIPTORUM *Reip. Auguſtanae* illum libellum eſſe a ſe editum.

y) De illo Codice, qui cum *Auguſtano* potiſſimum exemplari convenire videtur, *cap. IV.* §. 4. ubi de *Auguſtano* agam, paucis monebo.

propediem ad me rediturum esse nuperrime mihi significavit. ζ) Eiusdemque libri collationem cum alterutro ex *Vaticanis Msstis* se nostri caussâ instituturum BIRCHIUS recepit.

§. V. *Excerpta Peireſciana ex Appiano.*

De *Excerptis περὶ Ἀρετῆς καὶ Κακίας*, quae ex APPIANI *novem prioribus Libris* ab HENR. VALESIO, cum Polybii aliorumque Scriptorum de eodem argumento Fragmentis, *Parisiis* An. MDCXXXIV. ex *Codice Peireſciano*, adiectâ *Latina* versione *Valeſique Adnotationibus*, edita sunt, nihil habeo potissimum quod hoc loco commemorem. *a*) Adcurate atque emendate *Excerpta* illa a *Valeſio* sunt edita; ac ubi ab Exemplaris manuscripti scriptura discessit Editor, ibi vel in margine vel in Adnotationibus lectionem Exemplaris indicavit. Quorsum evaserit ipse *Peireſcianus Codex*, nec satis scio; nec illum, quoniam tam adcuratum Editorem nactus est, admodum requiro. Alium antiquum manuscriptum codicem, quo eadem Excerpta contineantur, non memini in ulla Codicum msstorum recensione memoratum legere.

ζ) In eo labore, nostri caussâ suscepto, quum *Marcianae* Bibliothecae doctissimi Custodis, Cel. Abb. IACOBI MORELLI, nec non VILLOISONII Viri Clar. consiliis atque operâ mirifice se adiutum praedicet *Bleſſingius*; eo nomine Viris humanissimis nos gratissima illius promeriti memoria obstrictos publice profitemur. -- [* Nec vero in *Illyrici libelli* cum *Veneto* illo *codice* collatione substiterunt BLESSINGII in Appianum nostrum merita: sed eiusdem diligentissimi Viri benefico deinde *reliquorum* etiam *Appiani librorum*, eodem Codice comprehensorum, cum impresso Appiani exemplo Collatio ad me transmissa est. De quo in Praefat. ad Appian. pag. xx. dixi. Sed & WYTTENBACHII, Viri clarissimi, in Appiani *Historiam Illyricam* a nobis editam singulare meritum exstitit; quod grata mente praedicavi cum in introitu Adnotationum in eumdem libellum, Vol. III. nostrae editionis, pag. 660 seq. tum in Praef. ad Appianum, p. XXIX.]

a) De iisdem *Excerptis Peireſcianis* in *Exercit.* in *Appianum*, Sect. IV. §. v. dictum est. -- [* De iisdem conferri potest Praefatio

§. VI. *Excerpta ex Syriaca Appiani Hiſtoria.*

Lectiones ex GEORGII GEMISTI ſ. PLETHONIS *Excerpto ex Syriaca Appiani Hiſtoria* ab erudito L. B. DE LOCELLA ex *duobus Codicibus Msstis Bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis* ad me eſſe transmiſſas, iam in *Exercitationibus* dixi. *b*) In illis plurimae ſunt Lectiones, quibus emendationes eae, quas ex *Auguſtano* Codice enotaveram, confirmantur; nonnullae etiam citra dubium non minus probae, & *Appiano* reſtituendae, quas in iis, quos equidem contuli, Codicibus non deprehendi. *c*)

§. VII. *Regius Codex, ex Appiani Libris de Bellis Civil. nonnulla continens.*

Codex Regius Graecus MDCXLII. ſeculo XVto nitide atque adcurate exaratus, praeter plura Xenophontis, Platonis, aliorumque veterum Scriptorum opera, continet *Appiani* nonnulla: ſcilicet *Comparationem Iulii Caeſaris cum Alexandro M.* quae Librum ſecundum *de Bellis Civilibus*

noſtra ad Polybium, Tomo ſecundo Hiſtoriarum Polybii praefixa, pag. XXVII ſeq.]

b) Sect. IV. §. VIII. pag. 42. In Codice *Regio* MMLXXX. exhiberi *Excerpta ex Appiani Syriacis*, monetur in Catalogo Codicum Msstorum Bibliothecae Regiae. Ea *Excerpta* non dubito eſſe eadem, quae ſunt a *Plethone* confecta. Eorumdem *Excerptorum* exemplum exhibet Codex CXXCIII. Bibliothecae *Bavaricae.*

c) Ex his eam lectionem hoc loco liceat commemorare, quam ad pag. 99. e. habet *Pletho*; ubi pro vitioſo Φωκίδα recte Φάκαιαν legit. Monuerat *Weſſelingius*, Vir doctiſſimus, ad Diodorum Sic. Tom. I. pag. 623. *PHOCIDEM & PHOCAEAM ab Appiano confundi:* ſed illum *librariorum*, non *Appiani*, errorem eſſe, *Plethonis* hoc *Excerptum* docet: caeterum & *vulgati* Appiani libri idem iam docere potuerant, in quibus paulo deinceps pag. 102. b. Φάκαια recte expreſſum eſt. -- [* Eadem *Plethonis Excerpta* deinde etiam cum *Codice Bibliothecae Leidenſis* noſtram in gratiam a WYTTENBACHIO Viro clariſſ. eſſe collata, in Praefat. ad Appian. pag. XXX. cum ea qua par erat grati animi ſignificatione commemoravi.]

Digitized by Google

claudit; *d*) & *Librum quartum de Bellis Civilibus*, non quidem integrum, (ut in *Catal. Biblioth. Reg.* proditum est) sed ne dimidium quidem; scilicet *Historiam potissimum proscriptionis a Triumviris, Antonio, Octaviano Lepidoque, editae e*). Atque illa etiam *Appianea*, liberalissime mecum ex *Regia Bibliotheca* communicato illo *Codice*, cum *Impressis* conferre mihi licuit; neque me operae in illam collationem impensae ullo modo debuit poenitere. *f*) Hunc Codicem, ubi ad eum provocare occasio dabitur, literis *R. c.* designabo.

CAPUT IV.

De duabus posterioribus Appiani Editionibus, & de Codice Ms. Augustano novae Editionis praecipuo subsidio.

§. I. *Henr. Stephani Editio Appiani, cum Gelenii Latina versione, ipsiusque Stephani Adnotationibus.*

Quadragesimo anno post quam Graece primum in lucem editus esset *Appianus*, Parisiensem illam patris patruique sui

d) Illi Fragmento haec inscriptio praefixa est: Παρεκβολὴ ἐκ τοῦ βιβλίου τοῦ Ἀππιανοῦ, οὗ ἡ ἐπιγραφὴ, Ῥωμαϊκῶν ιε', Ἐμφυλίων β'. Σύγκρισις Ἀλεξάνδρου καὶ Καίσαρος. Eadem *Comparatio* etiam in Codice MDCLXXII. una cum pluribus *Plutarchi* scriptis continetur. Mirum vero est, quum PLUTARCHI *Comparatio Alexandri & Caesaris* interciderit, hanc APPIANI *Comparationem* non solum inter reliqua huius auctoris scripta, sed & separatim passim, esse conservatam. Ea autem ubique *Appiano* nostro tribuitur; neque cuiquam in mentem venisse reperio, ut eamdem *Plutarcho* auctori vellet vindicare; & si quis in eam incideret cogitationem, erroris facile posset convinci.

e) Incipit ab ipso libri quarti initio, ac desinit in verbis καὶ περὶ Σικελίαν Πομπηίου. pag. 619. e.

f) Cum probatas plurimas Codicis *Augustani* lectiones eiusdem *Regii* Codicis auctoritate confirmatas deprehendi, tum alias nonnullas in eodem *Emendationes* inveni, quas nullus alius, quem vidi, Codex dabat. Velut p. 619. a. in lamentabili illa Lepidi oratione, pro κάτω δέ εἰμι τῶν προγράφαντων, quod

editionem repetiit HENR. STEPHANUS, &, quas seorsim iam olim iuvenis ipse ediderat, *Hispanicam atque Hannibalicam Appiani Historiam*, Latinamque totius operis interpretationem adiecit. *Genevae* altera haec Appiani editio, *an. MDXCII. in fol.* excusa est. Eis *Appiani libris*, quos *Parisiensis* complexa erat editio, *Latinam Versionem* illam, antiquâ longe doctiorem & accuratiorem elegantioremque, quam SIGISM. GELENIUS *g*) paucis post annis quam Parisiis prodiisset Graecus Appianus confecerat, addidit *Henricus Stephanus. Hispanienſem* atque *Hannibalicam* Historiam per *Franc. Beroaldum* in Latinum sermonem converti curavit. Graeco fragmento *Illyricae* Historiae antiquam *Petri Candidi* versionem integri illius libelli iunxit. Denique suas *Adnota-*

vitiose *Augusti.* & *tres Regii* & *Candidus* (p. 287.) in contextu habent, in *tertii* huius *Regii* margine adnotata vera lectio est: γρ'. προγραφέντων. (conf. *Civil.* Lib. V. pag. 743. e.) Et mox ibidem, pro δεδεμένῳ, quod itidem reliqui omnes habent, in ipso contextu idem Codex *R. c.* exhibet δεομένῳ: recte; nam id quidem orationis series & structura requirit, quae h. m. intelligenda est, χάρισαί μοι, ἐγγυωμένῳ τὴν γυναῖκα ἀπαντήσειν ἐς Καίσαρα, ἢ δεομένῳ ἀπελθεῖν μετ' ἐκείνης. Probabile est autem, eo tempore sine singulari venia non licuisse Lepido Româ, nedum Italiâ, excedere.

g) *Sigism. Gelenius*, nobilis Bohemus, optimis literis a puero innutritus, quum florenti fortuna potuisset in patria uti, maluerat cum *Erasmo* vivere, atque Basileae sedes suas figere; ubi per triginta annos & amplius poliendis emendandisque antiquis auctoribus, qui ex *Frobeniana* officina in publicum emittebantur, operam suam tribuit. Is igitur cum has recens tunc editas *Appiani Romanas historias* in *Latinum* sermonem transferendas sumsisset, non servilis imperitique interpretis functus est vice; sed criticae artis usu diuturno pollens, ac cum Graecarum Romanarumque literarum, tum & historiarum potissimum Romanarum, haud vulgari cognitione imbutus, depravatis Graecis, quae in edito Appiano legebantur, medicam manum solerter atque caute adhibuit; infinita *Appiani* loca, misere in Graeco exemplari deformata, felicissime restituit; & in plerisque veram auctoris sententiam perspicuo ac terso sermone Latino expressit. Qua re effecit disertissimus interpres, ut, quamvis non omnia potuerit hariolari, atque etiam in eius-

Digitized by Google

tiones in quasdam Appiani hiſtorias, & in conciones per totum opus ſparſas, h) adiecit.

§. II. *Conditio textus Appianei in hac H. Stephani Editione.*

Ad hanc adornandam alteram *Appiani* Editionem *nullius manuſcripti Exemplaris ſubſidio* uſus eſt *Henr. Stephanus;* quod eo magis mirari ſubit, cum, quod miſerrime deformatum fuiſſe in ſuperiori Editione nobiliſſimum Scriptorem non poterat ignorare, tum quod aliàs de ſua *in conquirendis*

modi locis, quae ſatis ſana erant, humani interdum aliquid paſſus ſit, tamen dubitare poſſis, STEPHANI-ne, miſere *deformatum Graecum* edentes *Appianum?* an GELENIUS *probatiorem* multo *Latinum* producens in lucem, *melius* de nobiliſſimo Scriptore *meruiſſe* cenſendus ſit?

Latina illa *Gelenii verſio*, poſt obitum *Gelenii* in lucem primum prodiit *Baſileae*, *an.* M. D. LIIII. *in fol.* cura *Caelii Secundi Curionis*, qui & ſuam *Hiſpanicae* Appiani Hiſtoriae verſionem, & *Candidi* verſionem libri Illyrici addidit. Recuſa eſt apud *Ant. Gryphium.* M. D. LXXVI. *in 16mo.*

Quum in *Epiſtola ad Amerbachium*, priori editioni praemiſſa, *Curio* dicat, *Rob. Stephani exemplari uſum eſſe Gelenium;* putari poſſit, alterutrum eorum Codicum, quibus uſus erat *Robertus Stephanus* (*Colbertinum* ſcil. *Codicem*, cuius poſſeſſor fortaſſe eo tempore *Stephanus* fuerat) fuiſſe cum *Gelenio* communicatum, ex eodemque codice plures ex illis Emendationibus, quas *Gelenius* corruptis Appiani locis in ſua verſione adtulit, fuiſſe ab interprete depromtas. Atque ego etiam in hanc eamdem veneram cogitationem; ſed ut eam iterum repudiarem, cum aliae rationes mihi ſuaſerunt, tum plane perſuaſit collatio plurium lectionum ex illo Codice cum verſione *Gelenii* inſtituta. Nam quod ſi in illo, quem dico, Codice *Gelenius* v. c. in *Hiſt. Pun.* pag. 59. a. vidiſſet lectionem κυνὸς pro vitioſo κοινὸς, ſi in *Mithr.* pag. 180. d. vidiſſet πόλιμον ἀσπιστον pro ἄπιστον, ſi *Civil.* IV. pag. 633. c. vidiſſet ἔχου pro corrupto ἔχων, ut taceam plurimas alias eiusdem generis lectiones; dubitari non debet, quin eas probandas & in verſione Latina fuiſſe ſequendas praeclare viſurus fuerit doctiſſimus ac ſagaciſſimus ille interpres.

Quare ille *Rob. Stephani* Codex, quem *Curio* dixit, non alius

Digitized by Google

potiſſimum *veterum Codicum lectionibus cura ac diligentia* conſueverit gloriari. *i*) Ac *Hiſpanicum* quidem & *Hannibalicum* Libros quod adtinet, quum in prima illorum Librorum editione peſſima quaeque de lamentabili conditione exemplaris, quo ad illos edendos uſus erat, dixiſſet; mirum ſane videri debet, cur intra trigeſimum quintum annum, ex quo illos primum ediderat, non operam dederit *Stephanus*, ut iſtam ſuam priorem editionem, priusquam eam repeteret, cum emendatiori aliquo exemplari, quod non

intelligendus erit, niſi exemplum aliquod *editionis Pariſienſis*, quam *Roberti Stephani* auſpiciis prodiiſſe noverat *Curio*. Quod *Gryphius* in fronte repetitae ſuae editionis *verſionis Gelenianae* poſuerit: *Appiani - - Libri XII. ex collatione Graecorum exemplarium reſtituti & emendati*; id, niſi unice ad fucum emtoribus faciendum a bibliopola adiectum eſt, non aliter intelligi debet, niſi quod interpres uſus ſit exemplo editionis Pariſienſis, in qua editione procuranda duobus Graecis exemplaribus uſi erant Editores.

h) In librum *Parthicum*, *Ibericum* & *Annibalicum*, perpetuae ſunt *Henr. Stephani Adnotationes*; cum ex reliquis libris non niſi *Orationes*, paſſim in eis occurrentes, ſusceperit illuſtrandas. Quibus in Adnotationibus partim corrupta auctoris loca reſtituere ſtuduit *H. Stephanus*, & ex his quidem non pauca ſatis etiam feliciter reſtituit; plurima autem pars earumdem adnotationum levioris eſt momenti, ac nonniſi in verboſiori quadam recenſione & examine variae rationis verſatur, qua in convertendis eis locis, de quibus agitur, uſi ſunt interpretes. Quod autem praeter librum *Ibericum* & *Annibalicum*, quos iam olim cum eisdem Adnotationibus ediderat, nunc etiam *Parthicum* illum librum, falſo Scriptori noſtro tributum, prae caeteris ſelegerit perpetuo commentario illuſtrandum; ea re quam parum bene de *Appiano* meritus ſit *H. Stephanus*, immo quam parum digne egerit gravitate illa ac iudicio, quae a tam erudito ac perſpicaci editore poterant exſpectari, monui in *Exercitat.* in *Appian.* Sect. VI. §. 11. p. 55. & §. x. not. *ss.* p. 92.

i) Sic in Epiſtola ad Lectorem, priori editioni Thucydidis praemiſſa, *hoc tibi primum*, inquit, *perſuade, me in conquirendis, more meo, veterum Codicum lectionibus curam ac diligentiam quantam potuerim maximam adhibuiſſe.*

Digitized by Google

difficile fuerat in Italia reperire, *k*) conferendam curarit; quo vidiſſet, quaenam ex emendationibus ſuis auctoritate meliorum Codicum confirmarentur, aut quaenam alia medicina poſſet eis locis, quos ipſe ſanare non potuerat, ex iisdem Codicibus adferri. Reliquos autem quod adtinet, *Appiani* libros, ex *Fonteblandenſi* ſaltem atque altero *Pariſienſi* Codice, quum ſaepe ac multum & Fonte Bliaudi & Pariſiis verſaretur *H. Stephanus*, ac multorum in illis locis doctorum virorum familiaritate uteretur, largam emendationum meſſem potuerat colligere, ſi tanti ei fuiſſet, emendatiorem *Appianum* edere. *l*) Neque vero idcirco nulla *eiusdem Stephani in Graecum Appiani contextum merita* exſtare putanda ſunt. Nam praeter Emendationes in Adnotationibus paſſim ex critica coniectura propoſitas, non ſolum operarum vitia, quae in Pariſina editione commiſſa erant, haud pauca ſuſtulit; verum etiam bene multas alias corruptas lectiones partim ex *Petri Candidi* verſione, partim ex ſuo ingenio ac doctrina, ſed plerumque praeeunte ſagaciſſimo *Sigism. Gelenio*, feliciter emendavit; nonnullas

k) *Carolus Sigonius*, quo familiariter uſus eſt *Henr. Stephanus*, & cui eidem ipſorum horum librorum priorem editionem inſcripſerat, ad *Livii* Lib. XXIII. cap. XI. ſcribit, ſe *Appiani hiſtoriam Annibalis manuſcriptam* ſaepius apud Ludov. Beccatellum legiſſe.

l) Aliunde etiam fortaſſe potuerat *Henr. Stephanus*, ſi id curaſſet, ſubſidia *Appiano* ſuo, de quo mirifice iactat, quanta ſint in eum *Stephanicae* ſtirpis merita, comparare. Certe *Dav. Hoeſchelius*, ſicut ex antiquo Aug. Codice Thucydidis *Excerpta Scholiorum, quae in aliis editionibus deſiderabantur, cum variae Lectionis Adnotatione ad H. Stephanum miſerat*, (vide HOESHELII *Catalog. Graecorum Codd. Mss. Bibl. Aug.* p. 45. num. LXXXVI. & *H. Stephani Epiſt.* ad *Lectorem*, poſteriori Thucydidis editioni praemiſſam) ſic vix dubium eſſe debet, quin idem Vir ad iuvandas Graecas literas miro candore atque ſtudio ſemper paratus, ſi de conſilio recudendi *Appiani* certior fuiſſet ab *H. Stephano* factus, lubens cum eo ex *Auguſtano* Codice non ſolum *Emendationes* in *Appianum*, ſed & *Graecum* contextum libri *Illyrici*, fuerit communicaturus.

Digitized by Google

etiam probas lectiones, quas *Variarum Lectionum Index* ad calcem editionis *Parisiensis* exhibebat, in contextum recte repoſuit. *m*) Sed iterum alia nonnulla, partim praeter rationem, partim plane infeliciter, ne indicatis quidem eis lectionibus quas locis ſuis moverat, mutavit. *n*) Tum vero non ſolum pleraque corrupta loca (prudenter id quidem, quoniam Codicum ſubſidio carebat) intacta reliquit, ne *Indice* quidem illo *variarum Lectionum*, e quo complura adhuc loca corrigi poterant, ex Pariſienſi editione ſuae editioni adiecto; ſed etiam *operarum errata*, quorum multa ex Pariſ. editione in ſuam propagavit, magno cumulo, longe maiori certe, quam ſibi perſuaderi facile patientur Stephanicarum editionum admiratores, auxit. *o*)

§. III. *Editio Amſtelodamenſis, Alexandri Tollii.*

Tertia editio, eademque *noviſſima* quam quidem ad hunc diem nactae ſunt *Appiani* Romanae Hiſtoriae, *Amſtelodami an. MDCLXX.* apud bibliopolas Ioh. a Waesberg & Ioh. a Sommeren, Graece & Latine, duabus partibus in forma *octava* prodiit. Ea editio ex *Henr. Stephani* editione ad ver-

m) Sic v. c. in *Hiſt. Pun.* pag. 1. a. *Henr. Stephanus* αὐτῆς pro αὐτοῖς, p. 3. b. τίλεσι pro πίλεσι, p. 3. d. ἀπείρητο pro ἀπήρητο, p. 4. a. ἐπὶ Ῥωμαίους pro ἐπὶ Ῥωμαίοις, p. 9. d. ἐπικαρσίας pro ἐπὶ καρδίας, p. 19. a. ὁρμοῦντα pro ὁρμῶντα, p. 24. d. ὅρμων pro ὅρμουν, *Syr.* p. 115. b. Τολιστοβίους pro τοὺς λιστοβίους, quod *Civil.* I. p. 349. d. contra Codicum fidem in *Pariſ.* edit. poſitum erat, μύσει pro μίσει, & id genus plura alia recte repoſuit.

n) Sic *Punic.* pag. 26. c. idem *H. Stephanus* Θεὸν pro Θών. *Civ.* I. p. 349. a. συνερχόμενος pro στρατευόμενος, quod eſt in msstis & in edit. Pariſ. (conf. *Livius* II. 32.) *Ibid.* pag. 363. b. τῷ τε γὰρ δικάζειν pro τό τε &c. male poſuit. Illud praeterea facile intelligitur, corruptas editionis *Pariſienſis* lectiones ab *Henr. Stephano* ſaepe ſatis quidem docte aut ingenioſe, ſed ita, mutatas eſſe, ut alias verioresque emendationes ſuppeditare potuiſſent Mssti codices.

o) De operarum erratis, quorum non exiguus in hac *H. Stephani* editione numerus eſt, mox ad §. ſeq. verbulum adiiciam.

bum expreſſa eſt: nam quod in fronte libri *Alexander* quidam *Tollius p*) perhibetur utrumque *Textum multis in locis emendaſſe & correxiſſe*, id non aliter intelligendum videtur, niſi quod ei homini negotium plagularum ab operarum erratis purgandarum fuerit commiſſum. In quo munere, a bibliopolis ipſi impoſito, ita fideliter verſatus eſt *Tollius*, ut, quoniam Stephanicam editionem repetitam voluerant bibliopolae, longe plurima quoque ex eis, quae operarum errore in illa editione peccata erant, a quovis licet tirone facile corrigenda, ſumma religione conſervaverit, *q*) atque ut eosdem Stephanicae editionis errores non nimis magnâ copiâ propriorum erratorum, quantum ego quidem animadverti, auxerit. Ceterum editioni huic acceſſere *Excerpta ex Appiano*, a *Valeſio* olim edita, cum ipſius *Valeſii Adnotationibus*; at *nomen* VALESII adiicere, docereve Lectorem, quis primus ediderit illa *Excerpta*, aut quisnam auctor

p) Eum Traiectinum fuiſſe, fratrem *Iacobi* & *Cornelii Tolliorum*, Lugdunique Batav. Philoſophiam eſſe profeſſum, docet *Ioecherus* in *Lexico Eruditorum*. Nihil praeterea de illo homine memoriae proditum mihi licuit reperire.

q) Itaque ne *Pariſienſem* quidem editionem conſuluit, neque per ſe vidit, v. c. in *Prooem.* pag. 111. b. (*Toll.* p. 1v. lin. 5.) pro vitioſo Εὐξείνων, Εὔξεινον; *Punic.* p. 21. b. (*Toll.* p. 33. l. 16. a fin.) pro φράξειν, φράζειν; *Syriac.* p. 89. b. (*Toll.* 146. 5.) pro Ἡγισιάναχτα, Ἡγησιάναχτα; pag. 90. a. (*Toll.* 146. l. 3. a fin.) pro ἀγοράς τε, ἀγορᾶς τε; p. 130. a. (*Toll.* 209. l. 12. a fin.) pro ἐμπλησθῆναι, ἐμπλησθῆναι; *Civil.* I. pag. 360. a. (*Toll.* 614. 19.) pro ἔρριψαν, ἔρριψαν; p. 387. b. (*Toll.* 652. 7.) pro ἐπιδημοῦντο, ἐπιδημοῦντας; *Civil.* II. pag. 470. b. (*Toll.* 770. 9.) pro τὸν αὐτὸν ἐναπειθόντων, τῶν αὐτ. ἀπαπ. p. 503. c. (*Toll.* 819. 18.) pro ὑφ' ἀγνοίας, ὑπ' ἀγνοίας; pag. 550. c. (*Toll.* 894. 4.) pro ἀπιστουμένοις, ἀπιστουμένης; pag. 572. e. (*Toll.* 928 med.) pro ἐκεπεξίνα, οὐκ ἐπεξιόντα fuiſſe reponendum, ſexcentaque eiusdem generis alia, corrigenda fuiſſe, quae, cum in *Pariſienſi* editione recte eſſent poſita, in *Henrici* demum *Stephani* officinâ corrupta ſunt. In *Hiſt. Syriac.* edit. Henr. Steph. pag. 90. a. (*Toll.* 146. l. 4. a fin.) καὶ τῇ Ἑλλάδι pro ἐν τῇ Ἑλλάδι; & pag. 96. d. (*Toll.* 157. l. 11.

eſſet illarum *Adnotationum*, non dignatus eſt Batavus editor. *r*) Alia ex *Appiano Excerpta*, multo etiam uberiora, iam pridem ab URSINO fuiſſe edita; *Illyricamque Appiani* Hiſtoriam *integram* iam ante ſeptuageſimum annum fuiſſe ab HOESCHELIO in lucem emiſſam; id quidem perinde ignotum & inauditum *novo* illi *Appiani editori* videtur fuiſſe. *s*) *Henr. Stephani Adnotationes* textui Appiani ſubiecit, eisque *ſelectas* alias, oppido paucas, addidit aliorum *doctorum Virorum*; quorum quidem nomina addere, ut ſciret lector, cuiusnam Viri legeret adnotationem, non niſi rariſſime conſultum duxit *Tollius*. Eas autem adnotationes, ſi non omnes, plerasque ſaltem, partim ex *Palmerii Exercitationibus*, partim ex *Rutgerſii variis Lectionibus*, partim ex *Ioſ. Scaligeri* ſcriptis, excerptas eſſe intellexi. De *ſubſidiis ad emendandum Graecum contextum comparandis* non magis ſolli-

a fin.) μενομένων pro γενομένων, erratorum editioni *Amſtelodamenſi* propriorum ſunt ſpecimina.

r) Conf. not. ſq. *s.* in fine.

s) Poſt mutilum *Illyrici* libri exordium, cui, ſicut in *H. Stephani* editione, *Petri Candidi verſio latina* totius libri adiecta eſt, haec eadem ipſiſſima verba ex *Henr. Stephani* editione repetere non erubuit *Amſtelodamenſis* editor: *Graecum exemplar, Lector, unde Illyrica transtulit Interpres, nondum nacti ſumus integrum; ſed tantum eius fragmentum, quod & ipſum tibi exhibemus. Interea faciendum duximus, ut ſaltem verſionem interpretis, qualiscunque ea eſſet, adiiceremus.* Longe melioris fideliorisque illius verſionis *Illyricorum Appiani*, quae *Stephano Gradio* auctore quarto anno ante quam haec editio *Amſtelodamenſis* Appiani prodiret, in ipſa urbe *Amſtelodamo* edita fuerat, ne mentionem quidem facere conſultum duxit *Tollius*. Quod autem *Excerpta ex Appiano ab Urſino edita* adtinet, de illis homini illi unum tamen verbum ſaltem fando fuiſſe auditum reperio. Scilicet famâ acceperat *Tollius*, edita eſſe ex Appiano *Excerpta de Legationibus*; ſed nimirum hoc praeterierat virum doctum, alia eſſe *Excerpta de Legationibus*, ab URSINO edita; alia *Excerpta* περὶ Ἀρετῆς καὶ Κακίας, a VALESIO in lucem emiſſa. Itaque illa cum his confundens, iisdem *Valeſianis Excerptis*, quae Parti *alteri* Appiani ſui adiecit, in ipſa *Inſcriptione* illius *Partis*, nomen *Excerptorum de Legationibus* impoſuit.

Digitized by Google

citus fuit novus editor, quam si nihil quidquam in eo genere desiderandum reliquisset *Stephanorum* diligentia.

§. IV. *Codex* AUGUSTANUS, *novae editionis Appiani praecipuum subsidium. Brevis notitia Codicis Veneti S. Marci.*

Augustanum Exemplar Manuscriptum, quo *praecipuo novae Appiani editionis subsidio*, ex Inclyti SENATUS REIPUBL. AUGUSTANAE indulgentia iam per octodecim menses ad hunc diem nobis licuit uti, non nimis quidem illud vetustum est, neque Seculo XVto multo esse antiquius pronunciare ausim. *t*) Est spissum volumen, eâ formâ quam *folio* adpellare consuevimus; charta bombycina, polita, nitidissima; scriptura perspicua, satis elegans, calamo, non penna, a Graeco homine exarata; rariora sunt scribendi compendia; literae passim maiusculae vel quadratae reliquis interspersae. *u*) Non ea ἀκριβείᾳ liber ille scriptus est, quin & incogitantiae & inscitiae librarii satis frequentia documenta in eo occurrant; immo nonnulla huius generis ita solennia illi homini fuerunt, ut nobis certo argumento esse possint, quae *probatae lectiones* aut quae *locorum mutilorum complementa* *x*) in eo Codice reperiuntur, ea sane

t) Videtur ex illo Codicum Graecorum numero esse, quos circa an. MDXLV. *Venetiis* de *Antonio Eparcho*, Episcopo Corcyraeo, octingentis ducatis emendos curavisse Ampl. Reipublicae Aug. Senatum, *Reiferus* refert in Epistola ad Duumviros Reipubl. Augustanae, *Indici Mss.torum Bibliothecae Aug.* praefixa.

u) Sic saepe Θ pro θ, Δ pro δ, C pro σ vel ς, N pro ν positum est; saepissime & initio vocis & in medio & in fine υ per Y exprimitur. Praeterea pro litera β haud raro occurrit illa figura, inter μ & υ intermedia, quae saepe aliàs & librarios & editores Graecorum librorum in errorem induxit.

x) Emendationum quae sive mutilis, sive alia ratione corruptis locis *Appiani* ex *Msto Augustano* adferri possunt, iam supra (Cap. I. §. 3. 4.) plura quaedam specimina adlata sunt. Illis si alia nonnulla etiam hoc loco addidero, gratum fortasse lectoribus quibusdam fecero. Igitur in *Hist. Mithr.* pag. 215. e. in *Aug.* Cod. est, τόνδε προαγόρευσιν ἐρῶν. *Ibid.* 216. b. καὶ ἐς Ῥώμην ἐπεμπε τοὺς συγγραφ. quod iam suspicatus erat *Car.*

Digitized by Google

non a librarii emendatione ingenioque esse profecta. Quo magis probatum emendatumque fuisse intelligitur illud exemplar, e quo *Augustanus* hic Codex descriptus est. Et quum innumeris probatissimis lectionibus differat idem *Augustanus* Codex a Codicibus *Parisiensibus*, cum quibus iisdem Parisiensibus mire consentiunt *Florentinus* & *Venetus SS. Ioh. & Pauli* & *Vaticanus Petri Candidi*; hinc adparet, ad *diversam* plane ab his *familiam* referendum esse *Augustanum* nostrum, & longe antiquius, certe emendatius fuisse exemplar, e quo *Augustanus* descriptus est, quam *communis* ille *fons*, e quo fluxerunt caetera omnia *Appiani* exemplaria, quae ad hunc diem supersunt. Sed dolendum est, ex superioribus etiam temporibus depravatas passim, aut mutilatas etiam fortasse, lectiones in *Augustanum* hunc Codicem, haud secus ac in caeteros recentiores Appiani codices, fuisse propagatas.

Augustanus ille Codex eadem omnia, quae erant in *Candidi* exemplari, exceptâ *Celtici* Libri Epitomâ, eâdemque serie cuncta, complectitur, a *Prooemio* Appiani & *Punica* historia usque ad *Illyricum* Librum, qui integer hoc volumine continetur, ipsumque volumen claudit. *y*) *Au-*

Stephanus. Civil. I. p. 379. a. διὰ φθόνον τὸ πλῆθος. *Civ.* II. pag. 443. b. ἀνεκάλυπτε, τὰς πληγὰς εἶναι ξενίας σύμβολον. *Civil.* IV. p. 611. d. καὶ ἀναἀρχησεν Ἀντωνίῳ, διαλλαγάς τε πολλάκις Ἀντωνίῳ καὶ Καίσαρι ἐς ἀλλ. ἐπορθμ. *Ibid.* p. 634. c. μόλις ἐς τὴν ἀγορὰν ἐγγὺς οὖσαν διέβαμεν. Κἀνταῦθα τῶν μὲν συμπλεκομένων σφίσι κρατοῦντες, τοξεύομενοι δὲ χαλεπῶς &c. Sed liber fuerit conscribendus, si omnia huiusmodi exsequi vellem; quae in nova *Appiani* editione suis locis singula exponentur.

y) Post librum *Punicum*, peculiari folio exhibetur Tabula Librorum hoc volumine comprehensorum, a Libro *Syriaco* usque ad *Illyricum*. Illud folium hanc habet inscriptionem:

Ἀππιανοῦ συγγραφέως, ῥωμαϊκῶν ἱστοριῶν βιβλίον δεύτερον.

Tum sequitur:

Πίναξ ἐναργὴς τοῦ παρόντος βιβλίου.

Ἀππιανοῦ ῥωμαϊκῶν ἱστοριῶν, Συριακή. ἱά. ἧς ἡ ἀρχή. Ἀντίοχος ὁ Σελεύκου τοῦ Ἀντιόχου, Σύραν καὶ Βαβυλωνίων.

guſtano exemplari prae caeteris coniunctum atque adfinem eſſe *Venetum Codicem Bibliothecae S. Marci;* (cuius primam notitiam, cum ſerie librorum quos illo continet, VILLOISONII Viri Cel. benevolentiae debeo) ex *ſpecimine Lectionum* illius Codicis e *Prooemio Appiani* a diligentiſſimo BLESSINGIO excerptarum, ad meque perhumaniter transmiſſarum, intellexi. ζ)

Τοῦ αὐτοῦ Ἀππιανοῦ ῥωμαϊϰῶν Παρθιϰή. ιβ'. ἧς ἡ ἀρχή. &c.
Τοῦ αὐτοῦ ῥωμαϊϰῶν Μιθριδάτειος ιγ'. &c.
Τοῦ αὐτοῦ Ἀππιανοῦ ῥωμαϊϰῶν ιδ'. Ἐμφυλίων πρώτη.

Et ſic porro. Denique

Τοῦ αὐτοῦ ῥωμαιϰῶν ιθ'. Ἰλλυριϰή. ἡ ἀρχή. Ἰλλυριοὺς Ἕλληνες ἡγοῦνται.

Ceterum duas *Adnotationes Anonymorum* de *XXII.* itemque de *ſelectis Appiani libris*, non niſi a recentiori manu huic volumini adiectas eſſe, iam in *Exercitat.* Sect. III. not. *d.* p. 16. monui.

ζ) Scriptus eſt ille Codex a *Gedeone* quodam, an. Chr. MCDXLI. -- [* *Cuius integri codicis lectiones cum impreſſo Appiani exemplo collatas* ab eodem BLESSINGIO ad me deinde transmiſſas eſſe ſupra commemoravi, in fine notae ζ. ad Cap. III. §. 4.]

CONTENTORUM SUMMA.

CAP. I. De antiqua Verſione Latina, Codicibusque Graecis Vaticanis Hiſtoriarum Appiani. pag. 97.

CAP. II. De Graeca Appiani Editione Pariſienſi, itemque de Codicibus manuſcriptis Regiis, Mediceo, & Veneto S. Pauli. pag. 106.

CAP. III. De Editionibus ac Codicibus manuſcriptis ſingulorum quorumdam Appiani Librorum, aut ex ſcriptis eius Excerptorum. pag. 117.

CAP. IV. De duabus poſterioribus Appiani Editionibus, & de Codice manuſcripto Auguſtano, novae Editionis praecipuo ſubſidio. pag. 124.

Digitized by Google

III.

EMENDATIONES ET OBSERVATIONES IN SUIDAM. [*]

PRAEFATIO.

In copia iſta varietateque & Fragmentorum ex Graecis Scriptoribus & Animadverſionum ex antiquis Scholiaſtis collectarum, quas in Lexico ſuo complexus eſt SUIDAS, fieri non potuit, quin multa, multis de cauſſis, vario atque vario modo depravata in iſto Graecarum literarum theſauro ad noſtram aetatem pervenirent. Quare vix ullus eſt Editor Graeci cuiuspiam Scriptoris, qui quidem cum cura aliqua ſuum tractaverit auctorem, & adnotationibus eum illuſtraverit, quin, ſicut ſubinde a Suida remedium corruptis auctoris locis paratum acceperit, ſic rurſus ea, quae apud Suidam deformata vulgo leguntur, ſive ex melioribus veterum auctorum exemplaribus reſtituendi, ſive ex certa vel probabili coniectura corrigendi invenerit occaſionem. Alii etiam ex profeſſo in emendandis erroribus,

[* Commentatio iſta in duos olim faſciculos distributa prodiit *anno* MDCCLXXXIX, eo conſilio ſcripta, (quod & titulus indicabat) ut *ſpeciminis Academici loco* a duobus adoleſcentibus philoſophiae & philologiae ſtudioſis, *Phil. Iac. Heiſch*, & *Ioh. Dan. Wagner*, noſtro ſub praeſidio, prior Faſciculus d. XVII. Iunii, alter die ſequente, in publico Academiae & civium Academicorum conſeſſu defenderetur. Pauca exempla nudo hoc titulo, *Emendationes & Obſervationes in Suidam*, conſcripſit *Iohannes Schweighaeuſer, Graecar. & Orient. Liter. Prof. Argent.* eodem tempore exteras in regiones miſſa ſunt.]

Digitized by Google

quibus obſitum eſt utiliſſimum Grammatici opus, laudabile atque fructuoſum poſuere ſtudium. In his *Ludolphus Küſterus*, doctiſſimus Suidae editor, immortaliter utique de iſto opere promeruit. Noſtra aetate, *Iohannis Toupii*, viri & Graecarum literarum in primis peritiſſimi & κριτικωτάτου, eminuit in eodem genere cum exquiſita diligentia, tum mira quaedam ac feliciſſima ſagacitas. Nos illorum veluti coryphaeorum veſtigia, quamquam non paſſibus aequis, tamen ut noſtrarum patietur virium modulus, atque feret occaſio, legentes; quae nobis, aliud quidem plerumque agentibus, in Suida occurrerunt, quae vel emendatione indigere vel animadverſionem aliquam mereri viſa ſunt, ſive brevibus commentationibus, ſive paulo etiam longioribus quibusdam excurſibus expoſita, in lucem edere atque doctiorum ſubiicere iudicio, decrevimus. Caeterum quum in Poëtarum potiſſimum illuſtrandis Fragmentis verſata ſit Toupii induſtria; noſtra haec opella intra eos maxime Suidae locos ſeſe continebit, qui ad proſaicos Scriptores, & in his ad Hiſtoricos praeſertim, pertinent: ac fere nonniſi ea comprehendet, quae vel olim in *Appiano*, vel nunc in expoliendo *Polybio* occupati, (cuius primum Volumen nuperrime in lucem emiſſum eſt, alterum propediem prodibit, tum reliqua quatuor iuſto tempore ſequentur) * per eorum occaſionem Fragmentorum, quae ex iſtis Scriptoribus ducta apud Suidam leguntur, obſervavimus paſſim adnotavimusque. Scribebam menſe Maio, MDCCLXXXIX.

[* Nec mora fuit: nec interquievit, quamvis difficillimis temporibus, noſtra induſtria. Eodem adhuc anno alterum *Polybii* volumen in lucem emiſſum eſt: & ſexto poſt anno abſolutum erat bono cum Deo totum opus, octo aut novem voluminibus conſtans; quorum priores quatuor *Graeca Polybii cum Latina noſtra verſione*, quatuor aut quinque reliqua (nam octavum in duas Partes, iuſtae quaeque molis, diſtributum eſt) *Commentarios* noſtros & *Indices* complectitur.]

Digitized by Google

I.

VOLUSIUS PROSCRIPTUS, ISIACI HABITU CELATUS EVADIT.

» ΑΓΕΙΡΕΙ, *συνάγει*. καὶ ΑΓΕΙΡΟΥΣΙ. Ὁ γὰρ τρόπος ἱερὸς » ἦν καὶ οὐδὲν ἐοικὼς τοῖς ἀγείρουσιν. καὶ αὖθις. Ὁ δὲ λα- » θεῖν θέλων, « &c. Iftis Suidae verbis *Ludolphus Küſterus* hanc verſionem adiecit: »Ἀγείρει. Colligit. Et *ἀγείρουσι*. » Ille enim pecuniae colligendae mos ſacer erat, & nullo » modo ſimilis mendicantibus. Et rurſus: *Ille vero latere* » *volens* « &c. Satis adparet, ad verbum ΑΓΕΙΡΟΥΣΙ deſiderari interpretationem *ἐπαιτοῦσι*, *προσαιτοῦσι*, aut aliam in eamdem ſententiam; ſive quod ex librariorum culpa intercidit, ſive quod ipſe Lexicographus, (quod ei interdum uſu venit) oblitus eſt eam adiicere. Scilicet, verbum *ἀγείρειν*, quod proprie *colligere* denotat, ſpeciatim de *mendicantibus*, *ſtipemque petentibus & colligentibus* uſurpari, docent ipſa exempla a Suida ad verbum *ἀγείρουσι* prolata; quibus alia addi poſſunt, ab Henrico Stephano in Graecae Linguae Theſauro ad idem verbum collecta. Quare etiam vocabulum *ἀγύρτης*, quod a verbo *ἀγείρειν* derivatum docent Grammatici, apud eumdem Suidam per *πτωχὸς* & *ἐπαίτης*, *a*) id eſt, *mendicus*, exponitur. Itaque quum proxime ante illa verba, de quibus dicere aggreſſi ſumus, legantur haec alia: »Ἀγείρας· ὁ χωλός. « Küſterus, cum Aemilio Porto, ὁ *πτωχὸς* pro ὁ χωλὸς legendum ſuſpicatus erat. Quod tamen neceſſe non eſt. Poteſt enim Ἀγείρας ὁ χωλὸς, *claudus ſtipem petens*, *claudus mendicans*, eſſe exemplum e Graeco quodam auctore prolatum, ad eamdem ſignificationem verbi *ἀγείρειν* pertinens, ad quam

a) Ibi quum vulgo coniuncta legantur verba *ἐπαίτης φιλοκερδὴς*, diſtinctione interpoſita ſeparanda haec duo eſſe monuit Hemſterh. ad Lucian. Tom. I. p. 236.

pertinent duo illa quae ſequuntur. Quorum in primo verbum ἀγείρειν de vulgari *mendico* uſurpatur, qui opponitur ei, qui Dei vel Deae nomine ſtipem petit. ὁ γὰρ τρόπος ἱερὸς ἦν, καὶ οὐδὲν ἐοικὼς τοῖς ἀγείρουσιν. » Ille enim pe» cuniae colligendae mos ſacer erat, & nullo modo ſimilis » mendicantibus.« Verba iſta Latina debuerant a Küſtero ea forma literarum excudenda curari, quam *currentem* vel *Italicam* vulgo vocamus, qua conſtanter aliàs perquam commodo conſilio uti conſuevit hic Editor in interpretatione locorum ex veteribus Scriptoribus prolatorum; quo facilius aliorum auctorum verba ab eis, quae de ſuo adpoſuit Suidas, discernerent lectores. Sunt enim iſta non ipſius Grammatici verba, ut Küſterus putaſſe videtur; ſed ſunt vetuſtioris cuiusdam auctoris, quae exempli loco a Suida proferuntur: quod & per ſe facile adparet, & confirmatur verbis καὶ αὖθις, quibus uti ſolet Grammaticus noſter, ubi uni exemplo, ex auctore quodam adlato, aliud adiicit, ſive eiusdem auctoris, ſive etiam diverſi.

Eſt autem alterum, quod adiicitur, Fragmentum ſuo argumento ſatis notabile, ut non pigeat totum hic adponere: » Ὁ δὲ λαθεῖν θέλων, ξυρεῖται τὴν κεφαλὴν καὶ » τὸ γένειον, καὶ στολὴν Αἰγυπτίαν ἀναλαβὼν, ἣν οἱ τῆς » Ἴσιδος θεραπευτῆρες ἥσθηνται, καὶ σεῖστρον ἐπισείων, καὶ » πόλιν ἐκ πόλεως ἀμείβων, καὶ τῇ θεῷ ἀγείρων, καὶ ἀναγ» καίας τροφὰς, λιμοῦ φάρμακα, ἀγαπητῶς λαμβάνων.« » Ille vero, latere volens, caput barbamque raſit, & Aegyptia » veſte aſſumta, qualem Iſidis cultores geſtant, & ſiſtrum qua» riens, de urbe in urbem profectus eſt, Deae ſtipem colligens, » *b*) & neceſſaria alimenta ad propulſandam famem libenti gra» toque animo accipiens.« Cuiusnam auctoris ſint iſta verba, non habeo dicere. Virum, de quo agitur, & quidnam fuerit, quod ad iſtam perſonam ſuscipiendam illum commoverit, de

b) De uſu ſacerdotum Iſidis & Idaeae Matris, *ſtipem Deabus ſuis corrogandi*, plura ad hunc locum tam opportune quam docte monuit eruditus Suidae editor.

Digitized by Google

quo nihil apud Küsterum adnotatum video, Appianus declarat in memorabili illa historia proscriptionis, a Triumviris, Antonio, Octaviano & Lepido institutae, quam libro quarto de Bellis Civilibus persecutus est. Scilicet ubi exempla nonnulla colligit eorum ex proscriptis, qui saevitiam Triumvirorum atque imminens supplicium, praeter spem, mira quadam ratione evaserunt, illud ipsum etiam exemplum, de quo agit Fragmentum nostrum, his verbis refert: c) Οὐολούσιος ἀγορανομῶν προεγράφη· καὶ φίλον ὀργιαστὴν τῆς Ἴσιδος ἔχων, ἤτησε τὴν στολὴν, καὶ τὰς ὀθόνας ἐνέδυ τὰς ποδήρεις, καὶ τὴν τοῦ κυνὸς κεφαλὴν ἐπέθετο, καὶ διῆλθεν οὕτως ὀργιάζων αὐτῷ σχήματι ἐς Πομπήϊον. Id est: *Volusius, aedilis cum esset, proscriptus est. Is amicum habens, Isiacorum sacrorum sacerdotem, petito huius amictu, talarem vestem linteam induit, personamque imposuit, caninum caput referentem; atque ita pro Isiaco sacerdote se gerens, eodem habitu ad Pompeium usque evasit.* Consentit Valerius Maximus, hoc uno discrepans, quod pro Sexto Pompeio, qui Siciliam tunc cum classe & exercitu tenebat, M. Brutum ponit, in Macedonia atque Asia bellum contra Triumviros parantem. *M. Volusius*, inquit, *aedilis plebis proscriptus, assumto Isiaci habitu, per itinera viasque publicas stipem petens, quisnam revera esset, occurrentes dignoscere passus non est. Eoque fallaciae genere tectus, in M. Bruti castra pervenit.* d)

Pari fere ratione *Domitianus*, ut auctor est Suetonius, e) *bello Vitelliano, Isiaci celatus habitu, inter sacrificulos vanae superstitionis, cum se trans Tiberim ad condiscipuli sui matrem comite uno contulisset, ita latuit, ut, scrutantibus qui vestigia subsecuti erant, deprehendi non potuerit.* Ad quem Suetonii locum nonnulla de Isiacorum habitu, scitu haud iniucunda, ex variis auctoribus congessit Torrentius, cuius commentarius Graevianae insertus est editioni. Caeterum circa id ipsum tempus, quo arte ista usus Volusius supplicium a

c) Cap. 47. Lib. IV. de Bellis Civil.
d) Valerius Max. VII. 3, 8.
e) Suetonius in Domitiano cap. 1.

Digitized by Google

Triumviris intentatum effugit, Iſiacis ſacris, quae variâ fortunâ Romae adhuc fuerant culta, neque fere publica niſa erant auctoritate, *f*) nuperrime ab ipſis eisdem Triumviris, plebi puto gratificaturis, quae iſtarum ſuperſtitionum religione tenebatur, honos fuerat reſtitutus, templo Serapidi Iſidique decreto, ut docet Caſſius Dio, Hiſtoriarum Romanarum libro XLVII. cap. 15. Quo factum eſt, ut tanto facilius, qui Iſiaci habitu incederet, ab inquiſitoribus, irae & cupiditatis trium tyrannorum miniſtris, tutus maneret.

II.

HERACLIDES DECIPIT RHODIOS.

»'ΑΝΑΔΕ'ΞΑΣΘΑΙ. *ὑπενεγκεῖν. ὑπομεῖναι.* Πολύβιος· »Πάνυ γὰρ βουληθῆναι τὸν Φίλιππον *ἀναδέξασθαι*, ἢ κα»ταφανῆ γενέσθαι Ῥοδίοις τὴν ἐν τούτοις αὐτοῦ προαίρεσιν, »ἣ καὶ τὸν Ἡρακλείδην *ἀπέλυσε* τῆς ὑποψίας.« Haec Küſterus, ſuperioris Suidae editoris Aemilii Porti veſtigia ſecutus, Latine ſic expreſſit: »'Αναδέξασθαι. Sustinere, »Patienter exſpectare. Polybius: *Philippum enim omnino »patienter potius exſpectare voluiſſe, quam in his rebus conſi»lium ſuum Rhodiis manifeſtum fieri; quod etiam Heraclidem »ſuſpicione liberavit.*« Iam primo quidem verbum *ὑπομεῖναι*, quod verbo *ὑπενεγκεῖν* tamquam ſynonymum adiecit Suidas, perperam expoſuerunt *patienter exſpectare*; quae notio non eſt huius loci, quoniam nullo modo convenit alteri verbo *ὑπενεγκεῖν*. Quare & ab ipſius verbi *ἀναδέξασθαι* vi, quam hoc loco declaratam voluit Grammaticus, prorſus aberrarunt. Tum vero, turbatam eſſe Graecam orationem in priori Fragmenti parte, quamquam diſſimularunt interpretes difficultatem, facile adparebat. Ex mſstis Codicibus nullam lectionis varietatem ad hunc locum adfert Küſterus; qui, ſi diligentius eos inſpexiſſet, forſan pretium operae fuerat laturus. Certe princeps Mediola-

f) Confer Io. Alb. Fabricii Adnotat. ad Dionem, XL. 47.

Digitized by Google

nensis editio Suidae, quae ab illo editore, qui Aemilii Porti in ea consulenda negligentiam perstrinxit, diligentius debuerat perlustrari, paratam certissimamque offerebat medicinam, quam eamdem Aldina pariter exhibet editio: Πᾶν γὰρ βουληθῆναι τὸν Φίλιππον ἀναδέξασθαι. *Etenim* QUIDVIS *sustinere maluisse, vel* QUIDVIS *aequiore animo fuisse laturum Philippum, quam* &c. Sic etiam convenit interpretatio Grammatici, verbum ἀναδέξασθαι exponentis ὑπενεγκεῖν, ὑπομεῖναι: quo pacto Polybius lib. IV. c. 70. ἀναδέχεσθαι παλαιπωρίας dixit, *subire molestias;* nec multum absimili sententia apud eumdem, in Excerptis Valesianis, πᾶν ἀναδέχεσθαι est *omnia recipere, quamlibet conditionem inire.* g) Sic πᾶν ὑπομένειν, Polybius apud Suidam in προσανέχων.

Sed nec postrema pars Fragmenti vel mendo vel saltem difficultate vacat. Cum enim ait ἣ καὶ τὸν &c. nihil habet habet pronomen ἣ, ad quod referatur: nam ad vocabulum προαίρεσιν quidem nullo modo refertur, ad quod per errorem relatum a librariis effictumque videri potest. Itaque Isaacus Casaubonus, h) quem secuti sunt posteriores Polybii editores, pro ἣ posuit ἥ, *quare:* commodius quidem, sed nec id satis commode, quoniam sic verbum ἀπέλυσε casu recto caret, cui respondeat. Nisi igitur ante ista verba a Grammatico alia nonnulla praeterita sunt, videtur potius ἃ rescribendum, quod & Küsterus cum Porto expressit: *quod* (vel *quae res*) *Heraclidem suspicione liberavit.* At quoniam apud eumdem Suidam in vocab. ἀπέλυσεν, ubi repetitur posterior pars nostri Fragmenti, rursus & editiones omnes & scripti libri in eamdem lectionem ἣ καὶ consentiunt, non temere ab illa est discedendum: sed su-

g) Polyb. in Eclogis de Virtutibus & Vitiis, Tom. II. p. 1473. Polybii Gronoviani; Tom. III. p. 135. edit. Ernest. [* Nostr. edit. in Reliquiis libri XXXIX. cap. 1. segm. 6.]

h) In Fragmentis ex Suida collectis, pag. 1018. edit. ipsius Casauboni. (In edit. Gron. Tom. II. pag. 1528. num. 8. Edit. Ernest. Tom. III. p. 248.)

Digitized by Google

ſpicari nempe debebimus, nonnulla Polybii verba praetermiſſa apud Grammaticum eſſe, in quibus commemorabatur illa *Philippi epiſtola*, cuius potiſſimum ope (ut mox ex Polyaeno videbimus) Rhodios decepit Heraclides; atque ita pronomen illud ἥ in integra Polybii oratione ad vocabulum ἐπιστολὴ, quod praecedebat, relatum fuiſſe videtur.

Haec ad verba huius Fragmenti. Ad rem ipſam & argumentum quod adtinet, monuerat Caſaubonus, *Heraclidem*, de quo hic agitur, eſſe Tarentinum illum, unum ex ducibus Philippi, cuius opera (ut legimus in Excerptis ex Polybii libro XIII. cap. 2.) uſus eſt Philippus ad naves Rhodiorum corrumpendas. Ac, verum ſi quaerimus, haud procul ab eis verbis, in quae definit caput ſecundum Excerptorum ex libro decimo tertio, locum olim ſuum obtinuerant illa, quae a Suida conſervata vidimus. Erant autem duo etiamnum alia Fragmenta interiecta, quae pariter apud Suidam reperiuntur. Alterum in voce Πρυτάνεις, huiusmodi: *Διαπιστοῦντες δὲ οἱ Πρυτάνεις ἤδη τῷ Φιλίππῳ διὰ τὴν περὶ τὰ Κρητικὰ κακοπραγμοσύνην, καὶ τὸν Ἡρακλείδην ὑπώπτευον ἐγκάθετον εἶναι.* Id eſt: *Sed Prytanes* (Rhodiorum magiſtratus) *quum Philippum ob perfidiam, qua in rebus Creticis uſus erat, ſuſpectum iam haberent;* (puta, quod rumore acceperant, eum Cretenſes ad belli ſocietatem adverſus Rhodios ſolicitaſſe;) *Heraclidem quoque doloſe ab eo ſubmiſſum eſſe, ſuſpicabantur.* Tum ſequebantur illa verba, quae in verbo Ἀπελογίζετο conſervavit Lexicographus: Ὁ δὲ, εἰσελθὼν, *ἀπελογίζετο τὰς αἰτίας, δι' ἃς πεφευγὼς εἴη τὸν Φίλιππον.* Id eſt: *Ille vero, ingreſſus, cauſſas expoſuit, cur Philippum fugiſſet.* Denique, paucis interiectis, ſequi debuerunt haec ipſa, quae ad verbum Ἀναδέξασθαι a Suida adnotata vidimus. Quorum trium Fragmentorum connexionem, quam dixi, perſpecte iam olim Henr. Valeſius indicavit in Fragmentis Polybii, quae Excerptis de Virtutibus & Vitiis adiecit *hh*) p. 201

hh) At in ipſo tamen eo Fragmento, a quo haec egreſſa eſt dis-

Digitized by Google

ſq. Quo loco non bene fecit Iac. Gronovius, quod in ſua editione Polybii, ubi Fragmenta Polybiana exhibet a Valeſio collecta, Tomo II. pag. 1555. quae opportune coniunxerat Valeſius, ea rurſus ſeparavit: in quo eum, ſicut in reliquis, editio Lipſienſis, quae Erneſti nomen in fronte gerit, preſſo pede ſecuta eſt Tom. III. p. 279. [*]

Qui autem vel ſic etiamnum ſuperſunt in iſta narratione hiatus, eos percommode ex Polyaeni Strategematum libro V. ſuppleri poſſe monuit idem doctiſſimus Valeſius in Notis ad Fragmenta Polybiana. *i*) Scilicet, ut mandatum Philippi de navibus Rhodiorum corrumpendis exſequeretur Heraclides, ſemet ipſe neſcio quomodo laceravit, quo nimirum σημεῖα ἀδικίας, (ut ait Polyaenus) id eſt, ſigna acceptae a Philippo iniuriae, poſſet oſtentare: atque ſic regiam egreſſus, ad aram ſupplex confugit, ſuisque lamentis Macedonibus etiam nonnullis perſuaſit, indigna ſe a rege eſſe paſſum. *k*) Hinc conſcenſa navi, Rhodum ſe contulit, a Philippo ſe indigne habitum conqueſtus, quod eum impedire voluiſſet, ne bellum Rhodiis inferret. Simul,

putatio, idem Valeſius loc. cit. pag. 202 ſq. & in Graecis verbis & in Latina verſione a Polybii ſententia (ſi quid video) prorſus aberravit. Nam quum errorem, qui in voce πάνυ commiſſus erat in Suidae editione Baſileenſi, & ex hac in Porti editionem migraverat, non animadvertiſſet; alio loco ineſſe errorem ratus, pro ἢ καταφανῆ γενέσθαι, poſuit καὶ καταφ. γιν. & Latinam hanc verſionem adiecit: *Philippum enim, aiebat, ſuum in ea re conſilium oſtendere Rhodiis maxime voluiſſe, quo Heraclides ab omni ſuſpicione liberatus eſt.*

[* Nos tria iſta Fragmenta rurſus iuncta dedimus in Reliquiis libri XIII. Polybiani cap. 5.]

i) Polyaenus Strateg. V. 17. pag. 387 ſq. edit. Iſ. Caſaub. Ac perſpecte ſuſpicatus eſt Valeſius, ex ipſo Polybio Polyaenum iſtam hiſtoriam, quemadmodum & alias multas, quas libro ſuo inſeruit, hauſiſſe.

k) ὥστε ἔσαν τῶν Μακεδόνων, οἷς ἐφόκει ταῦτα μὴ δικαίως. Adde πεπονθέναι, verbum ad ſupplendam ſententiam neceſſarium, quod librariorum incuriâ intercidit apud Polyaenum.

Digitized by Google

quo facilius fidem inveniret, literas monſtrat, Philippi manu ad Cretenſes ſcriptas, in quibus de belli ſocietate adverſus Rhodios agebatur. Ad iſtas igitur literas reſpicere utique videntur verba Fragmenti illius, a quo haec disputandi occaſionem cepimus. Scilicet, ut Rhodiis perſuaderet veterator, ſe ſerio Philippo eſſe iratum, demonſtrat illis, *quidvis potius paſſurum Philippum, quidvis aequiore animo laturum, quam ut ipſius conſilia cum Cretenſibus communicata* (quae hisce literis, quas Heraclides regi ſubripuiſſet, aperirentur) *Rhodiorum ad notitiam pervenirent.* Rhodii, (ſic pergit, praedicto loco, Polyaenus) his rebus perſuaſi, recipiunt Heraclidem, eumque ſibi uſui fore contra Philippum arbitrantur. Heraclides paulo poſt, nactus occaſionem, navalibus Rhodiorum ignem immittit; quo incendio magna pars navium periit: ipſe, fuga ſalutem petens, incolumis in Macedoniam ad Philippum eſt reverſus.

III.

GERRAEI ARABIAE POPULUS.

»Ἀξιοῦσι, ἀντὶ τοῦ παρακαλοῦσι, ἢ ἄξιον κρίνουσι. »Πολύβιος· Οἱ δὲ γεραιοὶ ἀξιοῦσι τὸν βασιλέα, μὴ κα»ταλῦσαι τὰ παρὰ τῶν Θεῶν αὐτοῖς δεδομένα. τουτέστιν, »ἀΐδιον εἰρήνην καὶ ἐλευθερίαν. Ὁ δὲ, ἑρμηνευθείσης οἱ τῆς »ἐπιστολῆς, ἔφη συγχωρεῖν τοῖς ἀξιουμένοις.« Interpres: »Ἀξιοῦσι, rogant, vel dignum iudicant. *l*) Polybius: *Se»niores vero regem rogant, ne res a Diis datas ſibi eriperet.* »Id eſt, aeternam pacem & libertatem. † *Ille vero, epiſtolâ »per interpretem ſibi explicatâ, reſpondit, ſe poſtulatis illorum »annuere.« —* Quamquam diligenter Küſterus Fragmenta Polybiana, a Polybii editoribus collecta, inſpexit; praeteriit eum tamen medela huic loco iam olim ab Iſ. Caſaubono adlata; qui perſpecte in Fragmentis Polybii ex Suida collectis Γερραῖοι pro γεραιοὶ repoſuerat; *m*)

l) Rectius dixiſſet: »vel, aequum cenſent.«

m) Polyb. edit. Caſaub. pag. 1014. Edit. Gronov. Tom. II. pag. 1523. num. 29. & 30. Edit. Erneſt. Tom. III. pag. 242.

Digitized by Google

non *seniores* aliquos, sed *Gerraeos* intelligens; populum, *Gerra* oppidum cum adiacente regione, ad sinum Persicum, in *Felici* quae vocatur *Arabia*, incolentem. *n*) Simul vero in eiusdem Fragmenti interpretatione alia nonnulla ab eodem docto viro errata sunt. Primum levius illud, quod verba τουτέστιν ἄϊδιον εἰρήνην καὶ ἐλευθερίαν, quae haud dubie ex eodem Polybii loco duxit Suidas, pro ipsius Lexicographi verbis habuit, interpretationis caussâ adiectis. Deinde, quod verba quae sequuntur, Ὁ δὲ ἑρμηνευθείσης οἱ &c. quae ad eamdem rem pertinent, & continuo nexu cum superioribus cohaerent, novum esse Fragmentum, ex alio auctore aut ex alio saltem loco ductum, arbitratus est, illudque interposito eo signo, quo in talibus uti solet, a praecedentibus separavit. *o*)

Recte vero a Casaubono *Gerraeorum* nomen Polybio apud Suidam esse restitutum, evincit aliud Fragmentum Polybianum ab eodem Suida ad vocem Σταχτὴ conservatum, quod opportune priori illi proxime subiecit loco

n) Quidquid continentis inter utrumque maris Erythraei sinum, Persicum & Arabicum, interiectum erat, *ad Felicem Arabiam* veteres Geographi referebant. Sed *Gerraeorum* regionem Danvillius in *Géographie ancienne* Tom. II. p. 226 - 228. Defertae Arabiae accensere maluit; soli magis naturam, quam veterum Scriptorum usum, secutus. Populi Gerraeorum apud complures auctores, Agatharchidem, Diodorum Siculum, Strabonem, Plinium, Ptolemaeum, aliosque, mentionem factam reperimus. Sed praecipue consulendus Strabo Lib. XVI. pag. 766. & 778. edit. Is. Casauboni.

o) Eodem loco gravius etiam & paene ridicule erraverat superior Suidae editor, Aemilius Portus; qui verba Πλάτωνος ἐπιγέγραπται, quae ad sequentem apud Suidam articulum (ubi de Aeschinis Socratici *Axiocho* agitur) margini a non nemine olim fuerant adscripta, ac temere deinde in contextum recepta sunt, in Graecis quidem sequenti illi articulo in fine adiecit, in Latina autem versione cum hoc nostro Fragmento coniunxit tali modo: »Ille vero epistolâ sibi per interpretem explicatâ, & »*intellectâ*, respondit, se postulatis ipsorum annuere. *Haec autem* »*epistola* Platonis *nomine* inscribitur.«

citato eruditus Polybii editor. Et in altero quidem hoc Fragmento apud Suidam recte Küsterus cum Casaubono (nescio, an manuscriptorum etiam Codicum auctoritatem secutus, quorum nullam certe mentionem fecit) Γερ-ραίους, *Gerraeos*, expressit; quum ibidem superiores omnes Suidae editiones Γεραίους, simplici rursus litera ρ, at penacuta tamen voce, non ὀξυτόνῳ, ut in priori loco, dedissent. Quae scriptura, Γεραῖοι, quum apud Ptolemaeum pariter inveniatur; Samuel Bochartus, memor *Gerraeos* istos ab Eratosthene apud Strabonem origine *Chaldaeos* perhiberi e *Babylonia profugos*, *p*) hanc scripturam Γεραῖοι per ρ simplex propius accedere monuit ad vulgatum nomen *Ger*, quo apud Chaldaeos non minus, quam apud Hebraeos, *advenae* adpellantur. *q*) Potuerat adiicere, ne Arabum quidem idioma ab eodem eiusdem vocabuli usu abhorrere. Sed de ista quidem nominis etymologia quidquid statueris; *r*) usus certe apud graecos latinosque Scriptores constans obtinuit, ut Γερραίους, *Gerraeos*, duplici litera ʀ scriberent. Atque, ut ipsum Polybium eodem modo scripsisse credamus, suadet Stephani Byzantini auctoritas, apud quem duobus locis, ubi diser-

p) Strabo, Lib. XVI. p. 766. edit. Casaub. ἐν βαθεῖ κόλπῳ κεῖται πόλις Γέρρα, Χαλδαίων φυγάδων ἐκ Βαβυλῶνος, οἰκούντων τὴν ἀλμυρίδα. *In profundo sinu situm est oppidum Gerra, Chaldaeorum e Babylonia profugorum, qui loca salsa habitant.* Quorum verborum Strabonis si recordatus esset Lucas Holstenius in eruditis Notis ad Stephanum Byzantinum, ubi eadem verba recitantur, nimis quidem ab Epitomatore decurtata, Γέρρα· πόλις Χαλδαίων, *Gerra, oppidum Chaldaeorum*; non monuisset » fuisse etiam Gerrha Arabiae Felicis oppidum, « quod respexisse Nicandrum ait in Alexipharmacis, *Gerraeorum thura* laudantem; sed vidisset, ipsum hoc oppidum, quod Stephanus dicit, cuius incolae origine Chaldaei erant, idem illud esse Arabiae Felicis, Nicandro aliisque Scriptoribus memoratum.

q) Bochartus in Geographiae Sacrae Parte I. Lib. IV. cap. 8.

r) Illam Bocharti rationem calculo suo probavit Wesselingius ad Diodorum Siculum, Lib. III. cap. 42.

Digitized by Google

re ad Polybium provocatur, Γερραῖοι, non Γεραῖοι, scriptum legimus. *s*) Multo enim curatius in propriis nominibus apud Stephanum Byzantinum, quam apud Suidam, conservatam esse genuinam veterum auctorum scripturam, facile animadvertere potuerit quisquis in hoc genere vel mediocriter est versatus: & in literarum praesertim duplicandarum ratione (codicum fortasse culpâ, quibus usus est) ita negligenter versatum Suidam videmus, ut, quamquam ad collocandos singulos Lexici sui articulos secundum literarum seriem, quibus quodque constat vocabulum, summam curam adhibuit, duplicatarum tamen literarum in serie articulorum nullam prorsus habuerit rationem. In Ptolemaei autem codicibus misere deformata esse plurima oppidorum populorumque nomina, satis constat: at, Γέρρα tamen & Γερραίους apud hunc etiam Geographum per duplicem literam ρ, in codice Palatino efferri, monuit editor Bertius. *t*)

Sed, ut a verborum singularumque literarum consideratione ad res ipsas paulisper redeamus, ex collatis inter se fragmentis Polybianis, partim a Suida, partim a Stephano Byzantino conservatis, intelligimus, Polybium Historiarum libro decimo tertio iter ab Antiocho in Babyloniam, indeque expeditionem in eam Arabiae partem, quae Persico sinui adiacet, susceptam exposuisse, eaque occasione de ipsa Arabia, aut de ista saltem Arabiae parte, copiosius differuisse. Et ex ipsius quidem libri designatione, quo de his rebus egisse hunc Scriptorem Stephanus monet, collato reliquo eiusdem libri argumento, tempus etiam definire licet, quo istam expeditionem suscepit Antiochus. Totus enim ille liber XIII. Polybii versatus erat in exponendis rebus anni a Roma condita quingentesimi quinquagesimi, Marco Cornelio Cethego, Publio Sempronio Tuditano consulibus, quem annum quartum Olym-

s) Stephanus Byzant. in Χαττηνία, & in Λάβαι.

t) Ptolemaeus in Geograph. Lib. VI. cap. 7. p. 177. edit. Bertii, Amstelod. 1618.

Digitized by Google

piadis CXLIII. numerat Polybius. Gesta igitur ea res est ab Antiocho biennio postquam pacatis rebus superioris Asiae, imperio omni a Tauro monte ad Bactrianam usque partim recepto, partim confirmato, ex diuturna gravique bellorum mole, magna cum gloria victor domum reversus, *Magni* cognomen commeruerat; quem reditum Polybius libro XI. cap. 32. in rebus anni secundi Olympiadis CXLIII. a Roma condita DXLVIII. exposuit: rursusque biennio ante initam cum Philippo Macedoniae rege societatem adversus pupillum Aegypti regem, Ptolemaeum Epiphanem, Philopatoris filium; de qua societate agitur lib. XV. cap. 20. Cuius *expeditionis Antiochi in Arabiam* quum apud neminem, quod sciam, alium ex veteribus Scriptoribus conservata memoria sit; age, disiecta illa quidem ac mutila, nec non per se (uti vereor) nonnihil deformata membra, quae de ista Polybii narratione supersunt, colligamus, atque iunctim unum sub conspectum lectoribus subiiciamus. En igitur ipsa Fragmenta, quorum duo sunt geographica, tria historica.

*

1. Χαττηνία, *u*) χώρα τρίτη Γερραίων. Πολύβιος ιγ'. Ἔστι δ' ἡ Χαττηνία τἆλλα μὲν λυπρὰ, κώμαις δὲ καὶ πύργοις διεσκεύασται διὰ τὸ εὔκαιρον *x*) τῶν Γερραίων· οὗτοι γὰρ

u) *Attenen* vocat Gerraeorum regionem Plinius lib. VI. cap. 28. sect. 32. qui tamen ibidem, paulo ante, a *Gerraeis* distinguit *Chattenos*. *Attenen* ab Ἄττα κώμη Ptolemaei nomen habere, monuit Harduinus ad Plin. l. c.

x) Cum διὰ τὸν, non διὰ τὸ εὔκαιρον dent mssti libri; poterat pariter διὰ τὸν εὐκαιρίαν corrigi, quoniam praesertim non tam facile τὸ & τὸν a librariis permutantur, quam in terminatione nominis confusio oriri poterat; ubi postremas literas superscribere praecedentibus & mire plerumque intricare vel decurtare solebant librarii. [* Sic Polyb. XI. 16, 6. msti dant τὸν δυσχρηστον. unde Cas. τὸ δύσχρηστον: nos cum Urfino τὸν δυσχρηστίαν, quo vocab. frequenter utitur Polybius. Parique ratione, in nostra Polybii editione (in *Reliquiis libri XIII. cap.* 9. ubi istas *de Arabia* eclogas collectas dedimus) vellem τὸν εὔκαι-

Digitized by Google

αὐτὴν νέμονται. Ἔστι δὲ τῆς Ἐρυθρᾶς θαλάσσης. y) Id est: *Chattenia, regio tertia Gerraeorum. Polybius XIII. Habet autem Chattenia caeteroquin ſterile ſolum: vicis vero & turribus inſtructa eſt, propter Gerraeorum, qui eam incolunt, opulentiam. Eſt autem maris Erythraei.* (Steph. Byz. in Χαττηνία.)

ρίαν, non τὸ εὔκαιρον, poſuiſſem; quum τὸ εὔκαιρον nusquam apud Polybium ea notione, quae huius loci eſt, occurrat, εὐκαιρία vero (ſcil. ἡ τοῦ βίου εὐκαιρία) frequentiſſime; ut Index noſter Graecus in Polybium, ſive Lexicon Polybianum, hac voce num. 2. declarat.] Sed id quidem perinde eſt. Sive autem τὸ εὔκαιρον, ſive τὴν εὐκαιρίαν legas; a ſententia auctoris aberraſſe videtur interpres Stephani Abrahamus Berkelius, cum *propter Gerrhaeorum ſitus commoditatem* ſcripſit. Immo *opulentia* Gerraeorum frequentiam generaverat hominum; unde illorum regio, ſterilis licet, vicis tamen erat frequentata: eademque *opulentia* turrium uſum neceſſarium fecerat, quibus, ſi ita res ferret, in tuto collocarentur opes ac divitiae. Divitiarum, quibus abundabant Gerraei, documentum habemus in Fragmento quinto ex eodem Polybio ducto; quas divitias ex commercio ſibi paraſſe hunc populum, ex Strabone diſcimus, locis paulo ante laudatis; (Lib. XVI. p. 766. & 778.) quum nimirum aromata aliasque pretioſas merces, ex fortunatioribus Arabiae partibus pedeſtri itinere quaeſitas, mari in Babyloniam, & adverſo Euphrate ad Syriae usque confinia transveherent distraherentque. Confer Diodorum Sic. III. 42. & Agatharchidem apud Photium pag. 746 ſq. edit. Hoeſchelii. Frequenter autem apud Polybium & nomen εὐκαιρίαν & verbum εὐκαιρεῖν iſta notione *opulentiae* ac *divitiarum* occurrit.

y) Quod ad *Erythraeum mare* habitare *Gerraeos* ait, quos ad Perſicum Sinum & Strabo & Plinius & Ptolemaeus ponunt, atque etiam Polybius in Fragmento quinto, quum *Tylon* inſulam ex adverſo ſitam commemorat; id quidem turbare neminem debet: *Erythraei* namque *maris* cognomen non ad Arabicum modo ſinum, ſed ad omne mare quod Arabiam undique adluit, pertinebat; ut *Perſicus* aeque ſinus, atque is, quem *Arabicum* vulgo vocamus, *Erythraei maris* eſſe cenſeretur: quod & Strabo docet libro XVI. p. 765. & Plinius lib. VI. cap. 23. & ſq. ſect. 28. Qua tamen ex communione nominis, ad utrumque ſinum pertinentis, vereor, ne magna ſubinde apud Scriptores orta ſit confuſio.

Digitized by Google

*

2. Λάβαι πόλις, ὡς Σάβαι, Χαττηνίας πόλις. Πολύβιος τρισκαιδεκάτῳ. τὸ ἐθνικὸν Λαβαῖος, ὡς Σαβαῖος. τῆς αὐτῆς χώρας ἀμφότεραι· ἡ γὰρ Χαττηνία, τῶν Γερραίων ἐστὶ χώρα. ζ) Id eſt: *Labae oppidum, ut Sabae, oppidum Chatteniae. Polybius XIII. Gentile Labaeus, ut Sabaeus. Eiusdem regionis utrumque eſt oppidum: nam Chattenia regio eſt Gerraeorum.* (Stephanus Byz. in Λάβαι.)

*

3. Οἱ δὲ Γερραῖοι ἀξιοῦσι τὸν βασιλέα, μὴ καταλύειν τὰ παρὰ τῶν θεῶν αὐτοῖς δεδομένα, τοῦτ' ἔστιν ἀίδιον εἰρήνην καὶ ἐλευθερίαν. Ὁ δὲ, ἑρμηνευθείσης οἱ τῆς ἐπιστολῆς, ἔφη συγχωρεῖν τοῖς ἀξιουμένοις. *Gerraei vero Regem rogant, ne res a Diis ſibi tributas (aeternam pacem dicebant & libertatem) everteret. Ille vero, per interpretem ſibi explicatâ epiſtolâ reſpondit, ſe poſtulatis eorum adnuere.* (Suidas in Ἀξιοῦσι.)

*

4. Αὐτὸς μὲν παρήγγειλε, φείδεσθαι τῆς τῶν Χαττηνῶν χώρας. *Iuſſit ipſe, ut parceretur Chattenorum regioni.* (Steph. Byz. in Χαττηνία.)

*

5. Κυρωθείσης δὲ τῆς ἐλευθερίας τοῖς Γερραίοις, ἐστεφάνωσαν παραχρῆμα τὸν Ἀντίοχον τὸν βασιλέα πενταχοσίοις

ζ) Hoc quale ſit, ut *Sabae* oppidum, *Chatteniae* regionis atque *Gerraeorum* fuiſſe, dicatur, planius fortaſſe intelligeremus, ſi, quae de iſta regione ac de variis Gerraeorum diſtrictibus Polybius ſcripſit, integra ad nos perveniſſent. Latiſſime patuit apud veteres Scriptores nomen *Sabaeorum*, & pluribus Arabiae nationibus tribuebatur; ac videtur interdum, quod uni iſtarum nationum conveniebat, ad aliam aut ad omnes fuiſſe relatum. Et de *oppido Saba* vel *Sabae*, Arabiae felicis, minime in liquido res eſſe videtur. De Homonymia nominis *Sabaeorum*, quamquam multum abeſt ut in planum rem omnem deduxerit, multa tamen diligenter collegit & acute monuit Bochartus in Geogr. Sacrae Parte I. Lib. II. cap. 26. & Lib. IV, cap. 7. & 8.

Digitized by Google

ἀργυρίου ταλάντοις, χιλίοις δὲ λιβανωτοῦ, καὶ διακοσίοις τῆς λεγομένης σταχτῆς. Καὶ ἐποίει τὸν πλοῦν ὡς ἐπὶ Τύλον τὴν νῆσον, καὶ ἐποίει τὸν ἀπόπλουν ἐπὶ Σελευκείας. Ἦσαν δὲ τὰ ἀρώματα ἐν τῇ Ἐρυθρᾷ Θαλάττῃ. *a*) *Libertate Gerraeis confirmata, Antiochum regem illi ſtatim quingentis argenti talentis, thuris mille, guttae autem, quam Staclen vocant, ducentis donarunt, coronae nomine. Rex vero inde in Tylum inſulam navigavit; unde Seleuciam navibus eſt reverſus. Erant autem illa aromata ad Erythraeum mare.* (Suidas in Σταχτή.)

IV.

ΒΟΡΙ'ΑΝΘΟΣ, VIRIATHUS.

»ΒΟΡΙ'ΑΝΘΟΣ. Ὅτι βάρβαροί τινες κτείνουσι Βορίανθον τυραννήσαντα, ταύτῃ προσάγεσθαι τὸν τῶν Ῥωμαίων στρατηγὸν ἡγούμενοι εἰς εὔνοιαν. καὶ δὴ ἀφικόμενοι τῶν τοῦ Βοριάνθου αὐθεντῶν τινες, ἆθλα τῶν περὶ τὸν ἄνδρα πεπραγμένων ἠξίουν παρὰ Σκιπίωνος κομίζεσθαι. ὁ δὲ Σκιπίων ἀποκρίνεται, μηδαμῶς εἶναι Ῥωμαίοις ἔννομον, ἐν ἐπαίνῳ ποιεῖσθαι τὰς κατὰ τῶν στρατηγῶν τοῖς ἀρχομένοις ἐπιχειρουμένας ἐπιβουλάς. « Küſterus: »Βορίανθος. *Borianthus. Barbari quidam Borianthum tyrannum interfecerunt, hac ratione putantes ſe ducis Romanorum benevolentiam ſibi conciliaturos eſſe. Quidam igitur percuſſorum, Scipionem adeuntes, caedis perpetratae praemia ab eo poſtularunt. Quibus Scipio reſpondit, non ſolere Romanos probare inſidias, quas milites contra duces ſuos moliti eſſent.* « — Poſterior pars huius fragmenti, inde a verbis Ὁ δὲ Σκιπίων, repetitur apud eumdem Suidam in Ἐπιβουλή: *b*) quod ἀποσπασ-

a) Poſtrema verba, Ἦσαν δὲ τὰ ἀρώματα &c. a Suida utique adſuta videntur; ſed ex ipſius Polybii verbis, quae ſuperius alicubi fecerat, deſumta. *Erythraeum* autem *mare* hoc loco non, ut ſupra in Fragmento primo, Perſicus ſinus, ſed Oceanus Arabiam a meridie adluens, una cum Arabico ſinu, intelligi debebit.

b) Secundum literarum quidem ſeriem ad Ἐπιβολὴ ibi relatum videri poteſt. Sic in fine legendum fuerit ἐπιβολὰς, *adgreſſiones, invaſiones.* Sed praeſtat ἐπιβουλὰς, *inſidias.* Et mox in ve-

μάτιον, licet non magis, quam maius illud fragmentum, quod retulimus, nomen Polybii praefixum habeat, Is. Casaubonus inter Fragmenta Polybiana num. 60. retulit: monuitque ibidem Gronovius, multum augeri illud fragmentum ex hoc ipso, in quibus versamur, loco posse. Mirum autem profecto debet videri, ne verbum quidem nec a Gronovio, nec a docto Suidae Editore, adiectum esse, sive explicandi causa, sive saltem dubitationis significandae. Certe inauditum in Romana historia monstrum nominis *Borianthi!* — *VIRIATHUM* pone pro *Boriantho*, & *CAEPIONEM* pro *Scipione*: omnia in plano erunt. *Viriathum* illum Lusitanum, ex latrone ducem belli adversus Romanos per complures annos feliciter gesti, ad extremum a suis, atque adeo a *barbaris*, interfectum esse, consentiunt auctores. Caeterum plerique quidem caedem illam consilio atque fraude Caepionis consulis, corruptis Viriathi satellitibus, esse patratam confirmant: Livius Epit. Lib. LIV. Velleius Paterc. II. 1. Valerius Max. IX. 6. 4. Auctor de Viris Illustr. in Viriatho. At cum auctore Fragmenti nostri, quisquis ille sit, ad verbum paene consentit Eutropius IV. 7, 16. *Viriathus*, ait, *a suis interfectus est . . . . Cum interfectores eius praemium a Caepione Consule peterent, responsum est, numquam Romanis placuisse, imperatorem a suis militibus interfici.* Neque vero ita pugnare haec sententia cum illa superiori videri debet, quin facile conciliari cum eadem possit; ita quidem, ut res ea fere ratione gesta cogitetur, quam Appianus exponit Historiâ Romanorum Hispanienſi cap. 74. Ad nomen quod adtinet *Viriathi*, illud apud Graecos Scriptores, Appianum, Dionem Cassium, Diodorum Siculum, variis modis, Οὐρίαθος, Οὐϊρίαθος, Οὐρίατθος, Οὐϊρίατθος scriptum legitur. *c*)

teribus omnibus Suidae editionibus, uno verbo Ἐπίβοον interiecto, inseruntur haec verba: Ἐπιβουλή· καὶ ἐπίβουλος. καὶ ἐπιβουλεύω σοι, δοτικῇ. ad quae verba, a Küstero quidem omissa, pertinebat illud fragmentum.

c) Vide Appiani Hist. Hispan. cap. 60. & Reimarum ad Dionem

Sed quemadmodum Romanorum literam *V.* conſonam in nominibus propriis ab aliis quidem librariis Graecis per diphthongum Ου, ab aliis vero per literam Β expreſſam ſaepenumero videmus: *d*) ſic in codice, e quo fragmentum noſtrum in ſuum Lexicon Suidas transſcripſit, Βιρίαθος vel Βυρίαθος ſcribi debuerat; ex quo, duarum literarum mutatione, υ vel ι in ο, & τ in ν, inauditum nomen Βορίανθος eſt exortum. De permutatione vero haud infrequenti nominum Σιπίων & Καιπίων, qui error in eiusdem Viriathi hiſtoria etiam Diodori Siculi codices occupavit, dixi ad Appiani Hiſt. Hiſpan. cap. 70. aliaque exempla congeſſit Perizonius in Animadv. hiſtor. cap. X. pag. 426. *e*) quem laudavit Weſſeling. ad Diodorum Tom. II. pag. 524. Caeterum quod ad Polybium auctorem Fragmentum hoc retulit Caſaubonus, id ſicut confirmare nolim recte factum, ſic nec negare auſim. Peculiari ſane libro *Bellum Numantinum* ſcripſiſſe Polybium Tullius auctor eſt, ad Familiar. Lib. V. Ep. 12. In cuius libri introitu commodus locus erat breviter ſaltem perſtringendi belli Viriathici, quoniam a Viriatho concitati arma ceperant Numantini, ut docet Appianus Hiſp. cap. 66. & 76. *]

V.

Ὄυρβιος, an FULVIUS?

Aliud apud Suidam reperio ex Hiſtoria Romana portentum nominis, quod diu incaſſum me exercuit, neque

Tom. I. pag. 32 ſeq. ubi de varia nominis *Viriathi* ſcriptione laudantur interpretes ad Aurelium Vict. de Viris Illuſtr. cap. 71, 1. & ad Silium Ital. X. 220. Apud Photium p. 626. edit. Hoeſchelii, in Excerpto ex Diodori Siculi libro XXXII. ter deinceps Ὑριάθος ſcribitur.

d) Sic apud eumdem Suidam Βαλεριανὸς, *Valerianus*; Βενεβεντὸς, *Beneventum*; Βῆρος, *Verus*; Βιτέλλιος, *Vitellius*; & ſexcenta alia.

e) Pag. 435 ſeq. edit. ab Harleſio procuratae Altenburgi 1771.

[* Confer quae monuimus ad Fragmentum Hiſtoricum LXX. in edit. noſtra Polybii, Tom. V. p. 74 ſq.]

Digitized by Google

quidquam inde ſatis certi extundere adhuc quidem potui. »Ὄ Τ Ρ Β Ι Ο Σ· ὄνομα κύριον. ζήτει ἐν τῷ Πραξικοπήσας.« Id eſt: »Urbius, Nomen proprium. Quaere in voce Πρα»ξικοπήσας.« Ad ipſum autem hoc verbum Πραξικοπήσας, haec leguntur: »Ὁ δὲ Οὔρβιος πραξικοπήσας νυκτὸς »κατέλαβε τὸ μέρος τῆς ἀκροπόλεως, καὶ τοὺς Ῥωμαίους »εἰσήγαγε.« Id eſt: »*Urbius autem, proditorum opera* »*uſus, partem arcis noctu occupavit, & Romanos in eam in*»*troduxit.*« — Et hoc pariter Fragmentum, licet ſine auctoris nomine adferatur apud Suidam, inter Fragmenta Polybiana num. 112. retulit Caſaubonus; idemque & in Commentario ad Polyb. lib. I. cap. 18. (coniecturâ unice ex uſu verbi πραξικοπεῖν ductâ) ſatis compertum ſe habere ait, Fragmentum hoc e Polybio eſſe petitum. Ac ſane non ſolum praecedens Fragm. quod apud Suidam ad idem verbum πραξικοπήσας adfertur, ex Polybio eſt lib. I. cap. 18. *f*) verum etiam alterum illud, quod noſtrum Fragm. proxime excipit, ex eodem Polybio (ut Küſterus, non ad hunc quidem locum, ſed ad Ἐξηνδραποδισμένον, monuit) ſcil. ex Excerptis Peireſcianis p. 21. edit. Valeſ. decerptum eſt. *g*) Neque in noſtro Fragmento quidquam ineſt, quod dictionis Polybianae colori repugnare videatur.

Sed quis intelligendus ſit ille *Urbius*, Οὔρβιος, altum eſt cum apud Caſaubonum tum apud Küſterum ſilentium. Cogitaveram *Vibius*, Οὔϊβιος, praeſertim quum haud infrequenter, in Polybianis quidem codicibus, invenerim literarum ι & ρ permutationem, librariorum incuriâ admiſſam. Sed in Romana Hiſtoria *Vibium* nullum reperire mihi contigit, ad quem ea res, de qua in Fragm. noſtro agitur, referri poſſet. Proximum erat de *Fulvio* cogitare, quod quidem nomen promiſcue Φολούϊος, Φουλούϊος & Φούλβιος a Graecis librariis efferri ſolet. Et ex Φούλ-

f) Non cap. 19. ut Küſterus ait.

g) In Polybio Gronoviano Tom. II. p. 1376. Edit. Erneſti Tom. III. p. 19. [Nobis, Polyb. VIII. 11, 3.]

Digitized by Google

βιος quidem ſi intercidiſſe *literam initialem* ſtatuamus, nihil ſumemus, niſi quod ſatis frequenter nominibus propriis in codicibus mſstis accidiſſe videmus: qua de re exempla nonnulla collegimus ad Appiani Hiſt. Annibal. cap. 36. quibus facile plura adiici poſſunt. Reſtat, ut literam λ in ρ corruptam fuiſſe ſuſpicemur: quae literae ſicut ex dialecti uſu interdum inter ſe permutantur, *h*) ſic & a librariis paſſim perperam confuſae reperiuntur. *i*) Quibus ita ſumtis, coniectura haud improbabili (donec certius aliquid aut veriſimilius adferatur) colligere licebit, agi de M. *Fulvio* Conſule, A. U. DLXV. Samen Cephalleniae oppidum capiente; qua de re Livius XXXVIII. 29. nullâ quidem proditionis mentione factâ, his verbis exponit: *Romani* NOCTE *per* ARCEM, *quam Cyatidem vocant, muro ſuperato, in forum pervenerunt. Samaei poſtquam captam urbis partem ab hoſtibus ſenſerunt, cum coniugibus & liberis in maiorem confugerunt arcem.* Sic τὸ μέρος τῆς ἀκροπόλεως, *arcis pars illa*, quam a Romanis captam graecus Scriptor dicit, fuerit eadem, quam Cyatidem Livius vocat & a

h) Qua de permutatione conferri poteſt Lucianus in Iudicio Vocalium cap. 4. Tom. I. pag. 86. edit. Hemſterhuſ. tum Scholiaſtes Ariſtophanis in Plutum v. 1. &, quem ad eum locum Hemſterhuſius laudavit, Henricus Stephanus in Animadv. in Lib. de Dialectis p. 57. Apud Lucianum autem loco citato cum vulgo edatur ἐπολίμει μέχρι νῦν τὸ Λάμβδα τῷ Ῥῶ· διαμφισβητοῦν περὶ τῆς κισσύρεως καὶ κεφαλληγίας, recte nuperrime quidem monuit doctus Interpres Gallicus, pro κεφαλληγίας cum Regio Codice ſcribendum eſſe κεφαλαργίας: ſed eam lectionem, ex Codice Voſſiano etiam adnotatam, in margine reliquit Hemſterhuſius.

i) De illa literarum λ & ρ librariis ſolenni confuſione monuit Gisb. Koen, ad Gregorii Corinthi Epiſc. libellum περὶ Διαλέκτων p. 124. & Reiskius ad Polybium, Tom. IV. Animadverſionum in Graecos auctores p. 722. Eodem modo in Appiani Codicibus πλὴν & πρὶν, & in Polybianis παρὴν & πάλιν permutata a librariis vidimus. Quae permutatio facile noſtro in loco accidere potuit, poſtquam capite truncatum atque deformatum ſemel fuerat nomen.

Digitized by Google

maiori arce distinctam facit. Quod satis convenit cum Graeco: nam si pars arcis capta est ab hostibus, consentaneum est, reliquam partem ab hac fuisse muro ac munitione separatam, & tutum adhuc perfugium potuisse civibus praestare.

VI.

VERBUM ΕΠΙΣΤΑΘΜΕΥΕΣΘΑΙ.

»ΕΠΙΣΤΑΘΜΕΥΟΜΕΝΟΙ. *κρίνοντες. ὑπονοοῦντες.* Οἱ »δὲ Φωκεῖς, τὰ μὲν ὑπὸ τῶν ἀπολειφθέντων Ῥωμαίων ἐν »ταῖς ναυσὶν ἐπισταθμευόμενοι, τὰ δὲ τὰς ἐπιταγὰς δυσ»χερῶς φέροντες, ἐστασίαζον.« Küsterus: »Ἐπισταθμευό»μενοι. Iudicantes. Suspicantes. *Phocenses, partim quidem »ex iis Romanis, qui in navibus relicti fuerant, de reliquis »iudicium facientes, partim vero imperia eorum iniquo animo »ferentes, seditionem excitarunt.*« Ista si ita scripsit Suidas, non minus hallucinatus Grammaticus graecus est, quam latinus huius loci interpres. Vim verbi *σταθμᾶσθαι* cum significatione satis obvia verbi *σταθμεύειν* & *ἐπισταθμεύειν* misere confudit Graeculus, quisquis fuit, qui istam interpretationem *κρίνοντες, ὑπονοοῦντες*, verbo *ἐπισταθμευόμενοι* adiecit. Quod si alter articulus, qui hunc proxime excipit in Lexico nostro, ab ipsius Suidae manu est profectus; superior ille vel saltem absurda ista & alienissima interpretatio ab imperito sciolo intrusa debebit videri. Nam mox satis adposite Ἐπισταθμευόμενοι exponitur *εἰς τοὺς ἑαυτῶν οἴκους δεχόμενοι*, quamquam nec hoc vim illius verbi prorsus exhaurit: adferturque locus nescio cuius auctoris: Ἐπισταθμευομένους τε ὑπ᾽ αὐτῶν καὶ διαρπαζομένους. Sed hoc rursus loco cum a vi verborum ex antiquo Scriptore prolatorum, tum ab ipsius graeci Grammatici interpretatione, plurimum aberravit interpres latinus, articulum istum ita ponens: »Ἐπισταθμευόμενοι. »Qui in domos a quibusdam recipiuntur. Qui hospitio »excipiuntur. *Hospitio ab illis exceptos & spoliatos.*« Meliora iam olim dederat Henricus Stephanus, in Thesauro

linguae Graecae T. I. col. 1740. verba ista ἐπισταθμευομένους ὑπ' αὐτῶν recte exponens, *quibus, ut hospitia iis praeberent, impositum erat;* seu *a quibus ad stativa ibi habenda designati erant.* Pariterque, in superiori Fragmento, verba illa, τὰ μὲν ὑπὸ τῶν ἀπολειφθέντων Ῥωμαίων ἐν ταῖς ναυσὶν ἐπισταθμευόμενοι, idem Stephanus perspecte his latinis verbis interpretatus erat, *partim quod hospitio recipere iussi essent relictos in navibus Romanos;* seu, *quod relictis in nave* [rectius dixisset *cum navibus* vel *cum classe*] *Romanis mansiones apud eos designatae essent.* Poterat brevius dicere: *quod stativis essent ab illis gravati.*

Ipsum autem hoc Fragmentum, de quo verba facere exorsus sum, quamquam absque auctoris nomine profertur apud Grammaticum, tamen non dubitabo cum Henr. Valesio ad Polybium auctorem referre. *k*) Ductum autem est ex eadem parte Historiarum Polybii, ex qua excerpta est Ecloga XVIII. de Legationibus: & brevi intervallo verba ista, a Grammatico conservata, praecesserant apud Polybium narrationem de Phocaeensium legatione ad Seleucum Antiochi filium, quae in praedicta Ecloga exponitur. Fragmentum nostrum opportune illustrat Livius XXXVII. 9. *l*) ita quidem, ut simul connexio eiusdem fragmenti cum illa Legatione satis adpareat, intelligaturque quid sit quod ex Polybii narratione interciderit. *Inter haec,* inquit, *Phocaeae seditio orta, quibusdam ad Antiochum multitudinis animos avocantibus. Gravia hiberna navium erant;* [hoc est, quod Polybius dicit τὰ μὲν ὑπὸ τῶν ἀπολειφθέντων Ῥωμαίων ἐν ταῖς ναυσὶν ἐπισταθμευόμενοι.] *grave tri-*

k) Vide Valesii Fragmenta Polybiana post Excerpta de Virt. & Vit. p. 214. In editione Gronov. Polybii Tom. II. p. 1562. num. 26. (edit. Ernest. Tom. III. p. 288.) [* Conf. in nostra Polybii editione *Reliquias Libri XXI. cap. 4.*]

l) Satis notum est, in illorum temporum historia Livium presso fere pede Polybium esse secutum; ita tamen, ut, quae res ad exteros populos magis quam ad Romanos pertinerent, vel praeterierit, vel in brevius contraxerit.

Digitized by Google

butum, quod togae quingentae imperatae erant, cum quingentis tunicis: [Polybius: τὰ δὲ τὰς ἐπιταγὰς δυσχερῶς φέροντες. Alia, quae apud eumdem Polybium sequebantur, non excerpsit Grammaticus.] *gravis etiam inopia frumenti; propter quam naves quoque & praesidium Romanum excessit. Tum vero liberata metu factio erat, quae plebem in concionibus ad Antiochum trahebat. Senatus & optimates in Romana societate perstandum censebant: defectionis auctores plus apud multitudinem valuerunt.* Lege nunc legationem illam XVIII. ex Polybio excerptam; & plana erunt omnia, neque dubitabis, Fragmentum nostrum ex eadem Polybii narratione fuisse depromtum.

Sed vim illius verbi ἐπισταθμεύεσθαι & graecum Grammaticum & latinum interpretem pariter fugisse, eo magis etiam mirum videri debet, quod vocabulum etiam ab eodem verbo derivatum, ἀνεπιστάθμευτος, in quo eadem notio manifeste inest, plus semel in eodem Lexico occurrit. Sic in'ΑΝΕΠΙΣΤΑΘΜΕΥΤΟΥΣ. Πολύβιος· Συγχωρεῖν τὸν βασιλέα Φίλιππον Θασίους ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους, ἀνεπισταθμεύτους. Ubi recte etiam vocabulum hoc exponitur σταθμὸν vel σταθμὰ μὴ δεχομένους, id est, ut perspecte Guil. Budaeus in Comment. Gr. Ling. pag. 472. (ed. Rob. Steph.) & cum eo Hen. Stephanus interpretatur, *immunes ab hospitiis praebendis exercitui vel principis comitatui:* quamquam hoc loco intelligi hospitia putarim, non tam *comitatui principis*, quam *militibus & exercitui* praebenda. Quod autem apud Suidam eodem loco ad σταθμὸν μὴ δεχομένους adiicitur ἤτοι ἀγγαρείαν, rursus res aliena miscetur. Nam licet vocabulum ἀγγαρεία latiore quadam notione denotet ἀνάγκην ἀκούσιον, καὶ ἐκ βίας γινομένην ὑπηρεσίαν, *necessitatem invitis impositam*, & *ministerium vi impositum*, ut est apud eumdem Suidam in 'Αγγαρεία; tamen satis notum est peculiare illud genus ministerii vi impositi, quod 'Αγγαρείας, *Angariae* vocabulo proprie designatur, scilicet, *quum quis ad currendum, baiulandum, vel iumenta cursoribus publicis praebenda, adigi-*

Digitized by Google

tur. Itaque in Pandectis Iuris, ubi de Excusatione munerum agitur, diserte distinctum ἀγγαρείας onus ab ἐπισταθμείᾳ videmus. *m*) Quare quum fragmentum illud Polybianum apud Suidam in 'Ανεπισταθμεύτους latine sic reddiderit interpres: *Regem Philippum Thasiis concedere immunitatem a praesidiis, tributis, angariis:* pro *angariis* rectius dixisset *hospitii praebendi necessitate.* Quod si vero quaerat aliquis, quidnam igitur differat inter ἀφρουρήτους & ἀνεπισταθμεύτους, praesertim quoniam ἐπισταθμείαν *militum* intelligimus, quae videri possit haud procul a φρουρᾷ, id est *praesidio militum*, abesse? respondebimus, minus esse ἐπισταθμείαν, sive *adsignationem* σταθμῶν, id est, *stativorum*, quam φρουράν. *Praesidium* perpetuum; *stativa* ad tempus sunt, sive brevius, (puta, reficiendi militis caussâ ex itineris molestia;) sive longius, veluti hibernandi caussa, quo pertinet exemplum illud, quod in superiori Fragmento de Phocaeensibus vidimus. Tum *praesidium*, urbi nuper in potestatem redactae impositum, pertinet ad cives in obsequio tenendos; *stativa*, militibus in urbe quadam adsignata, possunt quidem, si callide id agere voluerit imperator, revera eamdem vim habere, quam habet praesidium; atque ideo maxime suspectum illud institutum est civitati, quae fidei regis vel populi extranei ea conditione sese tradidit, ut libera maneret suisque iuribus uteretur: sed nomine tamen, atque etiam ipsum per se, non nisi ad militum pertinet commoditatem; & molestiam quidem creare civibus potest, libertati illorum obstare non debet.

Sed ut ad idem Fragmentum *de Thasiis & Philippo* red-

m) Lib. L. tit. v. num. 10. *Angariarum praestatio*, [haec est ἀγγαρεία] *& recipiendi hospitis necessitas* [ea est ἐπισταθμεία] *& militi & liberalium artium professoribus, inter caetera* (*onera*) *remissa sunt.* Rursusque ibid. n. 11. distinguuntur *praediorum collatio, viae sternendae angariarumve exhibitio, hospitis suscipiendi munus.* Quae loca ab Henr. Stephano in Indice Thesauri Gr. linguae voce 'Αγγαρεία laudata sunt.

Digitized by Google

eamus; eadem fere verba, quae in voce 'Ανεπισταθμεύτους habet Suidas, repetita videmus in 'ΑΣΤΑΘΜΕΤΟΥΣ· »Συγχωρεῖν τὸν βασιλέα εἶναι Θασίους ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους, ἀνεπισταθμεύτους, καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις.« Ubi, quamquam in verbis Polybianis, ſicuti in ſuperiori fragmento legitur vocabulum ἀνεπισταθμεύτους, dubium tamen movere debet vocab. ἀσταθμεύτους in titulo poſitum, & in legitima ſerie literarum ante ἀστάθμητος ſuam ſedem occupans; ita quidem, ut videri utique debeat, Grammaticum noſtrum ſive in ipſo Polybii contextu, ſive in ora libri pro varietate lectionis, inveniſſe vocab. ἀσταθμεύτους, eadem quidem notione quam habet alterum ἀνεπισταθμεύτους. Neque vero Analogia reſpuit illud ipſum vocabulum; quod etiam ex Plutarcho Budaeus in Comment. Gr. Ling. pag. 471. hac notione citavit, ut ſit *immunitatem habens* ἀπὸ τῶν ἐπισταθμείων.

Iam vero rurſus idem locus Polybianus, immutatis quidem nonnullis, ſed multo caeteroquin plenior apud eumdem noſtrum legitur Grammaticum in 'ΑΦΡΟΥΡΗΤΟΥΣ, hoc modo: »Θάσιοι εἶπον πρὸς Μητρόδωρον, τὸν »Φιλίππου στρατηγὸν, παραδοῦναι τὴν πόλιν, εἰ διατη»ρήσει αὐτοὺς ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους, ἀνεπισταθμεύ»τους, νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις. ἐπισημηναμένων δὲ μετὰ »κραυγῆς πάντα τὰ ῥηθέντα, παρήγαγον τὸν Φίλιππον εἰς »τὴν πόλιν.« Qui locus apud Küſterum latine his verbis redditur: »*Thaſii ad Metrodorum ducem Philippi dixerunt, ſe »urbem dedituros ea conditione, ut immunes ſint a praeſidiis, »tributis, & angariis, ſuisque legibus vivant. Cum autem om»nia dicta clamore confirmaſſent, Philippum in urbem introdu»xerunt.*« Quae verba mendo atque turbis non vacare, ſatis adparet. Primum enim iſta, νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις, ſecundum graeci ſermonis genium ſtare non poſſunt cum eis quae praecedunt, εἰ διατηρήσει αὐτοὺς ἀφρουρήτους. Nam, ſi his reſpondere velimus illa, dicendum fuerat νόμοις χρησαμένους (vel χρωμένους) τοῖς ἰδίοις.

Contra vero recte ſtat verbum infinitum χρῆσθαι eo loco, ubi, quemadmodum in vocabulo Ἀσταθμεύτους apud Suidam, praeceſſerunt verba συγχωρεῖν τὸν βασιλέα, εἶναι Θασίους ἀφρουρήτους — καὶ νόμοις χρῆσθαι &c. aut etiam absque coniunctione καὶ, ſi in praecedentibus omittatur verbum εἶναι, quemadmodum legitur in vocab. Ἀνεπισταθμεύτους. Sic enim fuerit συγχωρεῖν τὸν βασιλέα Φίλιππον, Θασίους ἀφρουρήτους — νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις. quamquam haec conciſior loquendi formula non tam convenit ſtylo Polybii, quam altera illa εἶναι Θασίους ἀφρουρ. — καὶ νόμοις χρῆσθαι. Deinde vero quae ſequuntur, ἐπισημηναμένων δὲ μετὰ κραυγῆς &c. plane cum prioribus non cohaerent. Ἐπισημαίνεσθαι, frequentatum in primis Polybio verbum, eſt *cum plauſu & adprobatione excipere dicta alicuius, adplaudere dicenti.* Itaque, »*Thaſii*, inquit, »*dicebant Metrodoro, — — — & dicta ſua omnia plauſu exci-*»*piebant.*« Id quidem dicunt verba iſta, prouti apud Suidam vulgo leguntur: quod quam ſit inconcinnum, non opus eſt, ut explanemus. Quod ſi eſſet ἐπισημηναμένου, ut ad *Metrodorum* referretur hoc verbum, *probantem ea quae Thaſii dixerant;* ſatis cohaereret oratio, ac ferri utcumque poſſet: quamquam maior videtur eſſe vis graecae dictionis, praeſertim quum addatur μετὰ κραυγῆς, quam ut de legato Philippi commode uſurpari poſſet: neque etiam illud ſatis commodum videtur, quod ait πάντα τὰ ῥηθέντα, quandoquidem non multa neque varia ſunt, ſed brevia atque ad eamdem rei ſummam pertinentia, quae a Thaſiis dicta referuntur.

Opem hîc nullam fert Livius, apud quem Thaſiorum, a Philippo iniuriâ adfectorum, nonniſi in transcurſu fit mentio, libro XXXI. 31. & XXXIII. 30. & 35. Sed mihi, tria iſta loca, quae ex Suida *n*) retuli, & inter ſeſe, & cum brevi Excerpto, quod inter Eclogas Valeſianas legitur, conferenti, viſum eſt, poſſe ratione quadam ſatis probabili intelligi, quonam fere modo *Iniuriam Thaſiis a*

n) In Ἀφρουρήτους, in Ἀνεπισταθμεύτους, & in Ἀσταθμεύτους.

Philippo factam expoſuerit Polybius. Scilicet poſtquam Hiſtoriarum libro decimo quinto, ut legimus in Excerptis de Virtutibus & Vitiis, *o*) dixerat: Φίλιππος κατὰ τὸν ἀνάπλουν ἕτερον ἐφ' ἑτέρῳ παρασπόνδημα μεταχειριζόμενος, προσέσχε περὶ μέσον ἡμέρας πρὸς τὴν τῶν Θασίων πόλιν, καὶ ταύτην φιλίαν οὖσαν ἐξηνδραποδίσατο. id eſt, Valeſio interprete: *Philippus, per reditum, alios ſubinde atque alios contra foederis leges violans, circa meridiem Thaſum appulit; eamque, licet amicam ac ſociam, in ſervitutem redegit:* his praemiſſis, rationem expoſuit, qua perfidiam illam adverſus Thaſios exſecutus eſt Philippus. Scilicet *Metrodorum legatum in urbem miſit, qui cum Thaſiis de deditione ageret. p*) Tum vero ſequebantur verba, quae Suidas recitavit in Ἀφρουρήτους. Sed in ipſo illo loco apud eumdem Suidam poſt verbum ἀνεπισταθμεύτους hiatus utique ineſſe cenſendus eſt, inde ortus, quod librarius, verborum ſimilitudine deceptus, ex uno verſu in alium inferiorem aberraverit. Verba autem, quae ibi interciderunt, ſunt ea ipſa, quae duobus aliis locis ab eodem Suida referuntur;

o) Pag. 65. edit. Valeſ. In edit. Gronov. Tom. II. pag. 1404. In edit. Erneſt. Tom. III. pag. 52. [* Vide *Reliquias Libri XV. Polybiani a nobis collectas*, cap. 24. Tom. III. pag. 541. ubi quidem lin. 7. eiusdem paginae, ante verba τὴν τῶν Θασίων, operarum noſtrarum errore, tria verba omiſſa ſunt, μέσον ἡμέρας πρὸς, de quibus ſupplendis in Adnotat. ad l. c. Tom. VII. p. 216. monuimus.]

p) Suſpicari etiam licet, poſt verba προσέσχε περὶ μέσον ἡμέρας πρὸς τὴν τῶν Θασίων πόλιν, progreſſum ſtatim eſſe Polybium ad exponendam rationem, quam iniit Philippus ut Thaſios ſpecie amicitiae deciperet. Nam quoniam ita particulatim hanc rem narrare adgreſſus eſt Scriptor, ut horam etiam diei, qua advenit Philippus, notaverit; videtur continuo ad ea, quae ibi inſtituit, particulatim pariter perſequenda transiiſſe. Adeoque intelligendum fuerit, verba illa, καὶ ταύτην φιλίαν οὖσαν ἐξηνδραποδίσατο, vel ex fine narrationis, omiſſis eis, quae interiecta erant, fuiſſe ab Excerptore ſuperioribus adiecta, vel omnem reliquam narrationem, quae apud Polybium ſequebatur, in brevia iſta verba fuiſſe ab illo contractam.

Digitized by Google

paucis verbis exceptis, quae ex facili coniectura licet ſupplere. Itaque totum locum tali quodam modo reſtituendum putaverim: Θάσιοι εἶπον πρὸς Μητρόδωρον, τὸν Φιλίππου στρατηγὸν, παραδοῦναι τὴν πόλιν, εἰ διατηρήσει αὐτοὺς ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους, ἀνεπισταθμεύτους, νόμοις χρησαμένους q) τοῖς ἰδίοις. [Καὶ ἀπεκρίνατο ὁ Μητρόδωρος·] Συγχωρεῖν τὸν βασιλέα, εἶναι Θασίους ἀφρουρήτους, ἀφορολογήτους, ἀσταθμεύτους, r) καὶ νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις. Ἐπισημηναμένων δὲ μετὰ κραυγῆς πάντων s) τὰ ῥηθέντα, παρήγαγον τὸν Φίλιππον εἰς τὴν πόλιν. Poſt haec denique narraverat Polybius, Philippum nihilominus contra fidem datam praeſidium Thaſiis impoſuiſſe, ut partim ex Excerpto Valeſiano, partim ex Eclога IX. de Legationibus adparet.

VII.

ἘΠΙΤΡΙΒΕΙΝ. CONCITARE, INSTIGARE, SOLICITARE.

»ἘΠΙΤΡΙΒΕΙ'Η. ἐντριβὴς γένοιτο. ἔμπειρος ὑπάρξοι. ἢ »παρορμηθείη. σημαίνει δὲ καὶ ἀπολεσθείη.« — »Ἐπι»τριβείη. Exercitatus fiat, peritus evadat. Vel incitetur. »Item perdatur.«

»ἘΠΙΤΡΙΒΟ'ΜΕΝΟΙ. ἐπερχόμενοι.« Küſterus: »Ἐπι»τριβόμενοι. Qui conteruntur.«

Ad iſta verba repetere ea fere liceat, quae ad Appiani

q) Χρησαμένους vel χρησομένους hoc loco, ut ſupra docui, ſcribendum omnino videtur pro χρῆσθαι. Et in his ipſis verbis librarium in iſto fragmento, quod ad vocem Ἀφρουρήτους refertur, aberraſſe puto ad verba ſimilia, quae poſt aliquot verſus ſequebantur.

r) Ἀσταθμεύτους, ut eſt apud Suidam in hac voce, commode hoc loco variationis cauſſa ſcribere pro ἀνεπισταθμεύτους potuit Polybius.

s) πάντων puto ſcribendum pro vulgato πάντα, ut ſententia ſit: *Cuius* (ſcil. Metrodori) *verba quum omnes laeta adclamatione excepiſſent.*

Digitized by Google

Hiſtoriam Romanorum Punicam cap. 50. (pag. 364, 32.) olim adnotavimus. Scilicet, praedicto loco apud Appianum, *t*) legati Carthaginienſium, poſt Hannibalis cladem ad Scipionem victorem miſſi, in miſerabili illa oratione, qua ſupplices pacem a Romanis, quibuscumque legibus dare vellent, petunt, primum deprecantur culpam, anno ſuperiori in Romanos, poſt ictum cum Scipione foedus, a Poenis admiſſam; quum per id ipſum tempus, quo ad ſolenne accipiendum iuramentum & ſanciendam pacem legati Poenorum Romam, Romanorum legati Carthaginem erant profecti, plebs Carthaginienſis commeatum Scipionis, vento Carthaginem delatum, diripuit, moxque deinde advenientes Româ legatos Romanos prehenſura erat, ni eos Hanno Magnus, & Hasdrubal Haedus (iidem qui nunc ad Scipionem miſſi ſunt) furori multitudinis eripuiſſent. Illam itaque culpam in plebem conferentes, & in perditos nonnullos plebis inſtigatores, dicunt: Εἰσὶ δ' αἱ πόλεις ἐπὶ τὸ χεῖρον εὐπίστροποι, καὶ τὸ πρὸς χάριν αἰεὶ παρὰ τοῖς πλήθεσιν ἐπικρατεῖ. Id eſt: *Omnis autem populus facile in deterius convertitur: & quidquid ad gratiam dicitur, id apud multitudinem valet plurimum. Quod & nos* (ſic pergunt) *experti ſumus, qui in ordinem cogere cohibereque plebem non potuimus, propter nonnullos, qui & domi nos calumniantur, & apud vos etiam libere loquendi facultatem ademerunt.* Tum, paucis interiectis: Ἀλλ' εἴ τῳ καὶ τὸ πεισθῆναι τοῖς ἐπιτρίβουσιν ἀδίκημα εἶναι δοκεῖ, τὸν λιμὸν ἐπίδεσθε, καὶ τὴν ἀνάγκην, ἣ γέγονεν ἡμῖν ὑπὸ τοῦ πάθους. *Quod ſi cui vero etiam hoc ipſum in crimine videtur ponendum, quod concitatoribus illis paruit multitudo; famem, quaeſo, ſpectate, neceſſitatemque ab illo malo nobis incumbentem.* Eodem deinde libro, cap. 55. *u*) poſtquam narravit Appianus, *Quum conditiones a Scipione propoſitas, quas accipiendas eſſe cenſebant optimates Poenorum, pertinaciter repudiaret multitudo, minasque intentaret eis, qui iſtis con-*

t) Pag. 27 ſq. editionis Henr. Stephani.
u) Pag. 31. edit. Henr. Stephani.

ditionibus pacem ſuadebant, placuiſſe ad extremum, ut ipſe Hannibal in conſilium vocaretur; his, inquam, expoſitis haec verba ſubiicit Scriptor: ὁ δ' ἦκε, καὶ, τῶν μετρίων δεδιότων μὴ φιλοπόλεμος ἀνὴρ ἐπιτρίψῃ τὸ πλῆθος, πάνυ σεμνῶς ἐκέλευε τὴν εἰρήνην δέχεσθαι. Id eſt: *Venit ille: &, quum moderati ex civibus timerent, ne vir bellicoſus populum concitaret, gravi oratione pacem ſuaſit.* Ad iſta igitur Appiani loca iam olim monuimus, verbum ἐπιτρίβειν nihil aliud ibi denotare poſſe, niſi *incitare, concitare, inſtigare.* Simulque provocavimus ad Excerpta ex Hiſtoria Macedonica eiusdem Scriptoris, *x*) ubi pariter haec phraſis occurrit, τοῖς ἐπιτρίβουσιν ἐς τὸν πόλεμον ὑμᾶς, *qui ad bellum vos concitant.*

Tum vero de iſto verbi huius uſu hasce obſervationes ibidem adiecimus: »Quam ſignificationem, rariorem quidem utique, ſilentio non praeterierunt veteres Lexicographi. Certe quum apud Heſychium legimus: Ἐπιτριβόμενοι· ἐπερόμενοι: & Ἐπέτριψαν· ἦραν: haec interpretamenta ſi inter ſe conferamus, probabile ſit admodum, altero loco ἐπαιρόμενοι ſcribi debuiſſe, altero ἐπῆραν. Ἐπαίρειν autem pariter *incitare, ſtimulare,* ſignificat. *y*) Et quum eamdem vocem Ἐπιτριβόμενοι apud Suidam per ἐπερχόμενοι expoſitam videmus; rurſus hoc ipſum ἐπερχόμενοι (quod, quid huc faciat, nemo facile dixerit) ex eodem verbo ἐπαιρόμενοι eſſe corruptum, ſatis indicare videtur alia gloſſa, apud eumdem Suidam oc-

x) Tomo I. noſtrae editionis pag. 525. 12. Conſervatum eſt illud fragmentum in Eclogis de Legationibus ex Appiano excerptis, quae, neglectae a ſuperioribus Editoribus, primum a nobis cum caeteris Hiſtoriarum Appiani Reliquiis coniunctae ſunt. Rurſus vero apud eumdem Scriptorem in Hiſtoria Bellor. Civil. V. 19. legimus: Τότε δὴ γυναικός τι παθοῦσα ἡ Φουλβία, τὸν Λεύκιον ἐπέτριβεν ἐς τὴν διαφοράν. *Tunc Fulvia, muliebri quodam affectu commota, Lucium concitavit ad discordiam.*

y) Apud eumdem Heſychium Ἐπαίρας exponitur ἐπεγείρας. Et mox deinde Ἐπαίρει vel Ἐπαῖραι, προτρέψασθαι. Et Ἐπῆρεν, ἀνέπεισεν. Sic apud Suidam Ἐπάρας· πείσας. Et Ἐπῆρας· ἀνέπεισας.

Digitized by Google

»currens: Ἐπιτρίβειν· παρορμᾶσθαι. quandoquidem idem »ſonant παρορμᾷν & ἐπαίρειν. Auctorum loca, unde gloſ»ſae iſtae in Gloſſaria translatae ſint, doctioribus inveſti»ganda pandendaque relinquo.«

Iam contra noſtram illam ſuſpicionem de interpretatione, quam verbo ἐπιτριβόμενοι adiecit Suidas, dubitationem iniicere, ſcripturamque ἐπερχόμενοι defendere aliquis poterit, eamdem Suidae gloſſam cum alia Heſychiana conferens, qua ἐπιτρίβεται per ἐπιφέρεται exponitur. Quod qui nobis voluerit opponere, videri quidem is poterit, rei obſcurae ex aeque obſcura lucem firmitatemque velle conciliare. At habebit tamen, quo ſe tueri quodammodo poſſit. Nam quamquam a neutro ex noſtris Grammaticis, neque etiam a doctis viris, qui Lexica iſta ſuis adnotationibus illuſtrarunt, exemplum ullum vel locus ullus ex graeco Scriptore adfertur, neque vero aliunde perſpicuum aliquod exemplum nobis quidem innotuit, ubi verbo ἐπιτρίβειν vel ἐπιτρίβεσθαι notio aliqua eiusmodi ſubiecta ſit: tamen ex illis Suidae & Heſychii interpretationibus inter ſe collatis colligi poſſe videtur, verbum illud ἐπιτρίβειν, de quo quaerimus, apud veteres nonnullos ſcriptores eodem modo fuiſſe uſurpatum, quo cognata verba ἐντρίβειν & προστρίβειν: quae ſi adiecta habent nomina κακὸν, βλασφημίαν, κόνδυλον, πληγὰς, τιμωρίαν aut ſimilia; ζ) idem ſonant quod ἐπάγειν, ἐπιφέρειν, id eſt, *incutere, infligere, inferre, impingere, ingerere.* Atque ita, ſi ἐπιτριβόμενοι idem eſſe velimus ac ἐπερχόμενοι, & ἐπιτρίβεται idem quod ἐπιφέρεται, intelligi debebit, nomen aliquod ex eorum genere, quae paulo ante adtulimus, in caſu recto adiectum verbo fuiſſe apud eos ſcriptores, e quibus exempla illa a Grammaticis enotata ſunt: v. c. *malum illatum; crimen alicui impactum & quaſi adfrictum vel infrictum; pugnus incuſſus; poena inflicta.* Quid autem ſpectarit Küſterus, quum illud ἐπερχό-

ζ) Plura huc facientia exempla collegit Henr. Stephanus in Theſauro Gr. linguae, ubi de praedictis verbis agit.

μενοι apud Suidam reddidit *qui conteruntur*, difficile dictu fuerit. Puto, non nisi ipsum verbum ἐπιτριβόμενοι ita latine redditum voluisse interpretem; verbi autem ἐπερχόμενοι interpretationem omisisse, quum nullam, quae locum hic habere posset, inveniret. Neque quidquam lucis adfundit id, quod hoc loco Aem. Portus habet: »Ἐπιτριβόμενοι. Invadentes. *Atriti. Contriti.*«

Sed ut redeam ad illam significationem verbi ἐπιτρίβειν, de qua dicere ingressus sum; eadem rursus obtinet in alio Appiani loco, ubi tamen ipsum verbum, per unius cuiusdam librarii & primi Editoris culpam, corruptum fuerat atque obscuratum. Scilicet in Historia Mithridatica cap. 16. *a*) ubi, *Pelopidam, Mithridatis legatum, castris Romanorum excedere iussum esse*, narravit Scriptor, *eique edictum, ut, nisi rex iussa fecisset, non amplius rediret*; haec deinde vulgo legebantur verba: Οὕτω μὲν ἀπεκρίναντο. καὶ ἀπιόντι φυλακὴν συνέπεμψαν, ἵνα μή τινα ἐπιτρέψειε παροδεύων. Sed illud verbum ἐπιτρέψειε ex uno Regio codice in Appiani orationem erat invectum: alter Regius & probatiores reliqui Codices omnes in ἐπιτρίψειε consentiunt; quod, uti par erat, auctori in editione nostra restituimus. Itaque sententia est: *Hoc responsum ei dederunt: utque abiit, custodiam cum eo miserunt, ne quos in via concitaret vel solicitaret.* Et aliàs quidem pariter confusa inter sese atque perperam a librariis permutata reperiri verba τρίψαι & τρέψαι, horumque composita, passim monuerunt viri docti, & in his Wesselingius ad Diodorum Siculum T. II. pag. 6. Quo pertinet & ipsum hoc verbum ἐπιτρέψαι apud Hesychium: nam cum ibi ἐπιτρέψαι non solum exponitur ἐπιτροπὴν δοῦναι, sed etiam ἀπολέσαι, satis adparet, notionem τοῦ ἀπολέσαι non ad ἐπιτρέψαι pertinere, sed ad ἐπιτρίψαι, cuius verbi usus iste est tritissimus.

Similem verborum ἐπιτρέπειν & ἐπιτρίβειν permutatio-

a) Vol. I. Part. II. pag. 663. nostrae edit. Editionis H. Stephani pag. 182.

nem Polybianos codices lib. IV. cap. 84. invaſiſſe, & olim & nuper etiam adhuc eram ſuſpicatus. Narrat ibi Polybius, Appellem, Philippi Macedoniae Regis olim tutorem, deinde ſubdolum perfidumque amicum atque miniſtrum, Aratos Achaeos, patrem & filium, Philippi amicos, calumniatum eſſe apud regem, hos in cauſſa eſſe perhibentem, quod Eleorum populus a Philippo eſſet alienatus. Tum ſic pergit: Καθ' ὃν γὰρ καιρὸν Ἀμφίδαμον ἐξ Ὀλυμπίας εἰς Ἦλιν ἀπέστειλε, τούτους, ἔφη, κατ' ἰδίαν λαβόντας ἐπιτρέψαι τὸν ἄνθρωπον, καὶ λέγειν, ὅτι κατ' οὐδένα τρόπον συμφέρει τοῖς Πελοποννησίοις τὸ γενέσθαι Φίλιππον Ἠλείων κύριον. Id eſt: *Quo enim tempore Amphidamum b*) *Philippus Olympia Elidem miſiſſet, Aratos privatim conveniſſe hominem & in aliam traduxisse ſententiam;* (ſic verbum ἐπιτρέψαι interpretatus eſt Iſ. Caſaubonus) *cum dicerent, nullo modo expedire Peloponneſiis, ut Eleos Philippus in poteſtate haberet.* Satis adparet, Iſ. Caſaubonum corruptum putaſſe verbum ἐπιτρέψαι, & ἐπιστρέψαι ſubſtitutum maluiſſe, quod verbum in verſione ſua expreſſit: atque etiam in notis marginalibus ad exemplum impreſſum Polybii, quod Oxoniae in Bibliotheca Bodleiana conſervatur, diſerte adſcripſit: »*melius* ἐπιστρέψαι vel πρότρέψαι.«

Sed Reiskius, in eruditis ſagaciſſimisque Animadverſionibus in Polybium, *c*) verbum ἐπιτρέψαι h. l. defendendum ſuſcipiens, primum quidem, ait, *hortandi* notione illud accipi poſſe, ſi cum codice Peireſciano, cuius ſcripturam ad iſtum locum expromſit Valeſius, *d*) omit-

b) Is praetor fuerat Eleorum, & bello captus a Philippo in Olympiam erat abductus. Deinde eumdem Philippus ſine pretio domum dimiſit, addito mandato, ut (quemadmodum ipſe ſpem fecerat regi) cives ſuos, multis magnisque promiſſis nomine Philippi factis, ad ſocietatem cum rege ineundam permoveret. Confer Polyb. IV. 75. & initium cap. 84.

c) Vol. IV. Animadverſionum ad Graecos auctores p. 362 ſq.

d) Valeſius in Notis ad Excerpta de Virtutibus & Vitiis p. 123. In Polybii edit. Gronov. Tom. III. p. 382. (Erneſt. Tom. III.

Digitized by Google

tamus coniunctionem καὶ ante λέγειν, ut ἐπιτρέψαι τὸν ἄνθρωπον λέγειν sit *adhortatos esse hominem ut diceret.* Sed illius notionis, verbo ἐπιτρέπειν subiectae, quam apud Scriptores Historiae Byzantinae crebrius occurrere ait, *e*) ex omni antiquitate non nisi unicum exemplum, quod proferret, invenit vir doctissimus, ex Fragmento Dionis Cassii petitum, quod in Codice Peiresciano inter Eclogas de Virtutibus & Vitiis conservatum est; ubi haec verba leguntur: *f*) ὁ δὲ ἀρκεῖσθαι ἱκανοῖς οὖσι τοῖς οἰκείοις πρὸς εὐδαιμονίαν ἐπέτρεπεν. quae sic interpretatus est Henr. Valesius: *Cineas vero praesenti rerum statu, ut qui ad felicitatem sufficeret, contentum esse illum* (Pyrrhum Macedoniae Regem, Italiae bellum illaturum) *iubebat.* Ac sane, si vera illa scriptura est; (de qua dubitavit Reimarus, *g*) προέτρεπεν scribendum ratus;) verbum ἐπιτρέπειν isto loco apud Dionem ea fere notione, quam expressit Valesius, *iubendi, hortandi, commendandi alicui aliquid,* utique fuerit capiendum. Eademque notione verbum illud ἐπιτρέψαι in praedicto Polybii loco cepisse videtur Valesius, quum lectionem codicis Peiresciani, quam supra retulimus, optimam sibi videri testatus est. At videns Reiskius, in codicibus omnibus Polybianis verbum λέγειν non ab ἐπιτρέψαι pendere, sed cum hoc verbo per particulam καὶ coniungi; intelligensque fortasse, ipsam illam sententiam, *hortatos esse hominem ut diceret,* non satis convenire

p. 325.) Quod autem ἐπιτρίψαι ibi apud Valesium, non ἐπιτρέψαι, legitur, id operarum errore factum videri, recte monuit Reiskius loc. cit.

e) In Du-Cangii tamen Glossario mediae & infimae Graecitatis, quod ad Scriptores Historiae Byzantinae in primis adcommodatum est, ille verbi ἐπιτρέπειν usus non est adnotatus.

f) In Excerptis Valesianis p. 589. In edit. Reimari Historiarum Dionis Tom. I. p. 18. num. XXXVIII.

g) Reimarus loc. cit. & in Indice Graecitatis ad Dionem. Suspicari autem licet, nisi a librariis corruptum sit illud verbum, saltem Epitomatori fortasse deberi, non ab ipsius Dionis manu esse profectum.

Digitized by Google

iſti loco; dimiſſa ratione a Valeſio propoſita, vulgatae lectioni ait ſuam conſtare videri rationem, ita quidem, ut ἐπιτρέψαι idem ſit ac ἐπιστρέψαι καὶ διαφθεῖραι, *ad aliam mentem & in partem ſuam traduxiſſe, corrupiſſe.* Atque, »Raariſſimi, ait, huius uſus verbi ἐπιτρέπειν pro τρέπειν τὴν »τινος διάνοιαν ἐπὶ γνώμην ἄλλην καὶ ἐφ' ἑαυτὸν, *aliquem »corrumpere orationc, ad aliam mentem traducere*, occurrit »apud Appianum pag. 181, 9. (edit. H. Steph.) ἀπιόντι »φυλακὴν συνέπεμψαν, ἵνα μή τινας ἐπιτρέψειε παρα»δεύων, *addiderunt abeunti cuſtodes vel obſervatores, ne quos »obiter corrumperet.*«

Igitur quemadmodum in hoc Appiani loco, ex quo inſolitum iſtum verbi ἐπιτρέπειν uſum probare conatus eſt vir doctiſſimus, per errorem, ut ſupra demonſtravimus, irrepſit ipſum illud verbum ἐπιτρέψειε, in cuius locum ἐπιτρίψειε erat reſtituendum; ſic proclive erat, ut ſuſpicaremur, apud Polybium pariter ſcripturam ἐπιτρέψαι ex ἐπιτρίψαι eſſe detortam. Neque tamen citra dubitationem quidem id adfirmare auſim. Nam quum vis verbi ἐπιτρίβειν in eis quidem exemplis, quae ex Appiano protulimus, non tam *in trahendo ad ſuas partes*, quam in *concitando, irritando, ſtimulando* ſita ſit, quam vim & Suidae interpretatio, atque etiam Heſychianae gloſſae (ni fallit noſtra coniectura) confirmant; non tam concitandus atque ſtimulandus ab Aratis Amphidamus erat, quam comprimendus atque retinendus, ne Philippi mandata, quae lubens atque ultro ſusceperat ille homo, ad Eleos deferret. Itaque videndum eſt, an verior ſit Caſauboni coniectura, quae & Erneſtii calculo comprobata eſt; ut ἐπιστρέψαι τὸν ἄνθρωπον ſcriptum a Polybio ſtatuamus, hac ſententia, *inhibuiſſe, retinuiſſe hominem Aratos, & in aliam ſententiam conatos eſſe eum traducere.* Permutatio autem verborum τρέψαι & στρέψαι in ſolennibus quam maxime eſt librariorum erroribus. *]

[* In editione tamen noſtra Polybii, IV. 84, 8. non dubitavimus quin ἐπιτρίψαι corrigeremus.]

Iam priusquam verbum ἐπιτρίβειν dimittam, aliam adhuc phrasin, qua de *morbo* usurpatum legimus, ἐπιτρίβειν τὴν νόσον, notatam velim. Huius φράσεως exemplum ex Chrysostomo adferens Henr. Stephanus, δικασταὶ αὐτῷ τὸν χειμόνα ἐπιτείνουσι, καὶ τὴν νόσον ἐπιτρίβουσι, postrema verba ita interpretatur, *morbum infligunt seu invehunt*. De qua interpretatione, quum ipsum auctoris locum, unde exemplum illud ductum est, non habeam in promtu, ne satis quidem valeo iudicare; sed ex ipsis tamen adiunctis (scilicet ex verbo ἐπιτείνουσι, quod huic ibi respondet, quod & ipsum aliàs de morbo usurpatur, hac notione, *intendere, augere vim morbi*) colligi posse videtur, verba τὴν νόσον ἐπιτρίβουσι non exponenda fuisse, *morbum infligunt*, vel *invehunt*, sed *morbi vim augent*. Certe hac notione phrasis illa manifeste accipienda apud Appianum est, qui duobus locis libri V. de Bellis Civilibus eamdem usurpavit. Scilicet cap. 59. (pag. 706. ed. H. Steph.) de Fulvia, M. Antonii uxore, haec legimus: Γενομένων δὲ τούτων, ἀγγέλλεται Φουλβία τεθνεῶσα· λεγομένη μὲν ἐπὶ ταῖς Ἀντωνίου μέμψεσιν ἀθυμῆσαι καὶ ἐς τὴν νόσον ἐμπεσεῖν, νομιζομένη δὲ καὶ τὴν νόσον ἐκοῦσα ἐπιτρίψαι διὰ τὴν ὀργὴν Ἀντωνίου. νοσοῦσάν τε γὰρ αὐτὴν ἀπολελοίπει, καὶ οὐδὲ ἀπολείπων ἑωράκει. Id est: *Dum haec geruntur, nunciatur mors Fulviae, quae in morbum quidem incidisse dicebatur ex aegritudine, qua animum eius adfecissent Antonii reprehensiones; sed sponte etiam auxisse (vel irritasse) putabatur vim morbi, propter Antonii iram, qui aegrotam illam deseruerat, ac discedens ne inviserat quidem.* Quo loco, certe non modo auctoris sententiam non satis expressit superior interpres, minime indoctus caeteroquin nec indisertus, Sigismundus Gelenius, sed & multum ab ea aberravit, cum verba illa λεγομένη μὲν & seqq. usque ἐπιτρίψαι tali modo est interpretatus: *quae dicebatur, Antonii querelas aegre ferens, ultro sibi morbum accivisse.* Eadem fere verba repetuntur cap. 62. ὅτι πρὸς τὴν ὀργὴν Ἀντωνίου δυσχεράνασά τε νοσήσειεν, καὶ τὴν

νόσον ἐπιτρίψειεν ὑπὸ τῆς δυσθυμίας. Neque valde aliena videtur haec verbi ἐπιτρίβειν ſignificatio ab ea, de qua ſuperius diximus: utrobique enim a *fricando terendoque* ducta eſt *irritandi, concitandi, acuendi, ſtimulandi*, notio.

VIII.

ΕΡΓΑΣΤΙΚΟ'Σ.

»ΕΡΓΑΣΤΙΚΟ'Σ. Πολύβιος· Ἰδίως δὲ τῶν πολιτικῶν »καὶ τῆς τῶν ἐργαστικῶν κατασκευῆς. « Küſterus: »Ἐργα»στικός. Opifex. Operarius. Polybius: [*Congeſta in fo»rum*] *ſupellectile & civium & opificum.* « — Scilicet apud Polybium Lib. X. cap. 16. in hiſtoria captae a Scipione Carthaginis Novae in Hiſpania, verba haec leguntur, ἀθροισθείσης εἰς τὴν ἀγορὰν — τῆς τῶν πολιτικῶν καὶ τῶν ἐργαστικῶν κατασκευῆς. Quem locum cum ante oculos non habuiſſet Aemilius Portus, mire ſe torſerat in vertendis illis verbis a Suida recitatis. Küſterus, cum Gronovio, ad praedictum Polybii locum ablegans lectorem, difficultatem diſſimulavit, quae in verbis, prouti a Suida proferuntur, ineſt. Gronovius autem, in Notis ad Fragmenta Polybiana a Caſaubono ex Suida collecta num. LXIX. *a*) aut abiiciendum apud Suidam verbum *ἰδίως* ait, aut intelligendum, hoc modo ſcripſiſſe Suidam: Ἐργαστικὸς, *ἰδίως*. Πολύβιος· τῶν πολιτικῶν &c. ut nempe moneat Lexicographus, *propria & naturali ſignificatione* accipi iſto Polybii loco vocabulum ἐργαστικός. At nusquam, quod ſciam, verbum *ἰδίως* hoc modo uſurpavit Suidas; neque aliam vim metaphoricam vocabuli ἐργαστικὸς, ab illa naturali diſtinctam, videmus. Immo vero, ſi de nativa & propria vocabuli origine loquuntur Grammatici, κυρίως (non *ἰδίως*) accipi vocabulum dicunt: *ἰδίως* vero *peculiarem* potius ac *ſingularem* vocabuli uſum indicaverit. *] Mi-

a) Tomo III. Polybii Gronoviani p. 458. (Edit. Erneſt. Tom. III. p. 316.)

[* Sic v. c. idem Suidas, voc. Ἀλαζὼν, in fine monet: *ἰδίως δὲ* (id eſt, *ſigillatim vero*) ἀλαζόνας τοὺς ψεύστας ἐκάλουν: quae

hi igitur probabile fit, ita ſcripſiſſe Grammaticum noſtrum: »Ἐργαστικός. ἰδιώτης. Πολύβιος· τῆς τῶν πολιτι-»κῶν &c.« Scilicet Polybius, verba faciens de Carthaginis Novae in Hiſpania incolis, qui, capta per Scipionem urbe, in Romanorum pervenerunt poteſtatem, distinguit inter τοὺς πολιτικοὺς & τοὺς ἐργαστικοὺς, quos eosdem cap. ſeq. χειροτέχνας dicit. Illi ſunt cives *nobiliores* & *cultiores*, ac praecipue *qui rempublicam adminiſtraverant*; hi ſunt *ignobiliores* & *rudiores de plebe opifices*.

IX.

ΚΑΤΑΒΟΛΗ'.

Quae ad hoc vocabulum apud Suidam adnotata leguntur, ea tribus articulis vulgo diſtincta exhibentur. In his mire nonnulla confuſa ſunt; alia emendatione quadam indigent; ad alia animadvertiſſe nonnihil iuvabit. Sunt autem tres articuli huiusmodi:

I. Primus. »ΚΑΤΑΒΟΛΗ'. περιοδικὴ λῆψις πυρετοῦ. »Τῶν δὲ Μακεδόνων ἐκ καταβολῆς συνεπιόντων τοῖς βαρβά-»ροις, εὐθέως ἐκκλίναντες ἔφευγον.« Quibus verbis hanc latinam interpretationem adiecit Küſterus: »Καταβολή. »Febris per certa temporis intervalla in orbem rediens. »[Et ἐκ καταβολῆς, denuo, de integro.] *Macedonibus au-»tem pugnam cum Barbaris integrantibus, conſeſtim ex acie fu-»gere coeperunt.«*

II. Alter. »ΚΑΤΑΒΟΛΗ'. Δημοσθένης Φιλιππικῶν· »Ὥσπερ περίοδος, ἡ καταβολὴ πυρετοῦ. Ἐν ταῖς περιοδι-»καῖς νόσοις λέγεταί τις καὶ καταβολὴ, διὰ τὸ ἐν ἀποδε-»δειγμένῳ προϊέναι χρόνῳ· καθάπερ οἱ ἐρανισταὶ τὰς κατα-»βολὰς ποιοῦνται τῶν χρημάτων.« Küſterus: »Καταβολή. »Demoſthenes Philippica IX. *Quemadmodum febris ſtatis »temporibus in orbem rediens.* De morbis periodicis enim di-»citur etiam καταβολὴ, quod ſtato tempore in orbem

verba ex Schol. Ariſtoph. ad Nubes 102. ducta ſunt. Et frequens eſt ille uſus vocis ἰδίως apud Grammaticos.]

»redeant: ſicut eraniſtae [ſtato tempore] ſymbolas ſuas »conferre ſolent.]«

III. Tertius. »ΚΑΤΑΒΟΛΗ'. *καινούργησις.* *Ἐκ καταβο-* »*λῆς πεντήκοντα ναῦς ναυπηγήσασθαι. πεντήκοντα δὲ ὑπαρ-* »*χουσῶν κατελθεῖν ἐκ τῶν νεωρίων.* Πολύβιος. *Οἱ δὲ πει-* »*ραταὶ, θεασάμενοι τὸν ἐπίπλουν τῶν Ῥωμαϊκῶν πλοίων, ἐκ* »*καταβολῆς ἐποιοῦντο τὴν ἀναχώρησιν. Λέγεται δὲ καὶ θυ-* »*σία, περίοδος, τελετή.*« Interpres: »Καταβολή. Novi ope- »ris fundamentum. *A fundamento quinquaginta naves aedifi-* »*cari* [*iuſſit:*] *cum iam ante quinquaginta paratae eſſent, quae* »*ex navalibus in mare deduci poterant.* Polybius: *Piratae ve-* »*ro, conſpicati claſſis Romanae adventum, curſu retro converſo* »*ſe receperunt.* Dicitur etiam *καταβολὴ* ſacrificium, circui- »tus, initiorum ritus.«

Iam quod de *confuſione* dixi, quae in his obtinet, id quidem in promtu eſt. Adparet enim, interpretationem *περιο-* *δικὴ λῆψις πυρετοῦ*, quae eſt articulo primo, pertinere ad Articulum II. & ad exemplum ex Demoſthene prolatum. Fragmentum autem illud: *Τῶν δὲ Μακεδόνων &c.* quod eodem artic. I. recitatur, utique ad artic. III. videtur referendum, & verba *ἐκ καταβολῆς* eamdem prorſus ibi vim habere videntur, quam habent in fragmento illo, *Οἱ δὲ πειραταὶ &c.* quod artic. III. adfertur: quae Küſteri pariter fuit ſententia. *b*) Niſi fortaſſe verba *ἐκ καταβολῆς* ex illa phraſi explicanda putemus, *καταβάλλειν τὰς σαρίσσας*, qua ſaepius Polybius utitur, potiſſimum, ubi de Macedonicae phalangis pugna verba facit, veluti V. 85. XI. 13 ſq. XVII. 20. Quam phraſin Is. Caſaubonus in Dedica-

b) Eiusmodi confuſiones, quae admodum ſunt frequentes in hoc Lexico, duplici via irrepere potuiſſe, iam pridem docti viri monuerunt: partim, quod ea, quae ab ipſo primo collectore harum gloſſarum, Suida, in margine fortaſſe reliquis iam collectis erant adiecta, iniquo loco a librariis deinde in contextum inlata ſunt; partim, quod eis, quae ab eodem Suida collecta erant, alia deinde ab aliis ſunt adiecta, mox conſentientia eis, quae ille notaverat, mox eisdem repugnantia.

Digitized by Google

tione Polybii ad Henricum IV. (T. III. operum edit. Erneſti p. 671.) his verbis exponit: »Eſt autem καταβολὴ, »haſtae (quae in itinere ſuper humerum poſita fertur aut »erecta) *aptatio ad inferendum ictum, & protenſio.*« Poterat brevius dicere, *haſtae demiſſio* ac *protenſio*. Sed prior ſententia potior videtur; ut phraſin ἐκ καταβολῆς eâdem notione accipiendam h. l. ſtatuamus, quae in reliquis exemplis obtinet, quae paulo inferius adferuntur. *]

De *Emendationibus* nonnullis, quibus verba prolata indigere videntur, deinceps videbimus, ubi in enodanda vi vocabuli, de quo agitur, ad ipſa loca, in quibus nonnihil parum emendate poſitum putamus, perveniemus.

Duas igitur potiſſimum notiones, vocabulo καταβολὴ ſubiectas, declarat Grammaticus noſter, & exemplis ex veteribus auctoribus prolatis confirmat. Nam quae in fine adiiciuntur interpretationes, λέγεται δὲ καὶ θυσία, περίοδος, τελετὴ, hae quidem ex Heſychio c) aut alio quodam gloſſatore poſtmodum Suidae adſutae videntur. Ac praepoſtere inter θυσία & τελετὴ, quae pro parallelis, ut aiunt Grammatici, ac fere ſynonymis habenda ſunt, medium interſeritur nomen περίοδος, cuius diverſa prorſus vis eſt; nempe ea, quae initio articuli I. apud Suidam adnotata, & articulo II. exemplo ex Demoſthene prolato confirmata, uberiusque deinde expoſita eſt. De duabas autem reliquis interpretationibus, θυσία & τελετὴ, quas easdem pariter apud Heſychium legimus, difficile quo-

[* Nam verbum quidem καταβάλλειν, adiecto nomine τὰς σαρίσας, utique eâ notione, quam interpretatus Caſaubonus eſt, ſaepius apud Polybium occurrit; dictio vero iſta, ἐκ καταβολῆς, numquam aliter niſi ita ut *a fundamento, a prima origine, ab initio*, ſignificet. Vide loca in Lexico Polybiano (voc. Καταβάλλω & voc. Καταβολὴ) a nobis indicata.]

c) Apud Heſychium in καταβολὴ, vel potius forma Ionica καταβολὴ, (ut ex ſerie literarum adparet) hae adferuntur vocabuli illius interpretationes: τὸ ἐπιβάλλον. . . καὶ ἡ τοῦ πυρετοῦ περίοδος. καὶ ὁρμή. καὶ μερὶς. καὶ ἱερὰ τόσος. καὶ τέλος τῶν χρεῶν. τὸ καθῆκον. θυσία. τελετή.

dammodo dictu est; quandoquidem nec locus ullus veteris scriptoris adfertur, ubi tali quadam notione usurpetur vocabulum καταβολὴ, neque ex derivatione evidens utique est notionis illius ratio. Nam proclive quidem erat, ut cum Salmasio, quem laudavit doctus Hesychii editor, *d*) de phrasi καταβάλλειν ἱερεῖα cogitaremus: at ea phrasis non sigillatim *mactare hostias* denotat, sed etiam, *quodvis animal* (sive comedendi caussa, sive etiam ex venandi voluptate) *caedere, conficere, sternere*: *] quod vero idem Salmasius perhibet, καταβόλους sigillatim dictos esse *victimarios* vel *confectores victimarum*, id unde arripuerit, mihi non liquet. Tum vero etiam adiectum nomen τελετὴ videtur indicare, significationem istam vocabuli καταβολὴ, ubi illud aequivalet nominibus θυσία vel τελετὴ, non tam a *caesa* vel *prostrata hostia*, quam ab alia notione verbo καταβάλλειν subiecta derivari debere. Ac videri quidem debebit a *deponendo* potius derivanda, quod Deo *munus offeratur, deponaturque*: qua ratione καταβολὴ, vulgo etiam, *pensio, solutio* (puta, *mercedis, tributi, debiti, symbolae*) dicitur: *e*) eademque ratione, ἀπὸ τοῦ καταβάλλειν, καταβολὴν denotare τὴν θέσιν ἤτοι δόσιν monuit Eustathius ad Iliados Ψ. v. 125. Sed ni fallor confectam dabunt ea, quae ex Athenaeo, *f*) ut perspecte Küsterus monuit, protulit Sui-

d) Salmasius ad Scriptores Historiae Augustae Tom. I. p. 142.

[* Sic v. c. apud Athenaeum in Plutarchi historici verbis, IV. 150. f. θύματα καταβάλλεσθαι ταύρων καὶ συῶν καὶ προβάτων τε καὶ λοιπῶν κτηνῶν, de animalibus ponitur unice *in cibi usum caesis*. Plura loca, quibus καταβάλλειν generatim *sternere, caedere, occidere* significat, ex Polybio collegimus in Lexico Polybiano, p. 325. col. 2.]

e) Quo etiam pertinent nonnullae ex Hesychii interpretationibus supra adlatis; scilicet, τέλος τῶν χρεῶν, id est *solutio debiti*; tum, ex metonymia, τὸ ἐπιβάλλον, *pars contingens* vel *rata*, quam quisque confert; τὸ καθῆκον, quae interpretatio eodem videtur respicere; denique μερὶς, *portio*.

f) Athenaeus Deipnosoph. Epit. Lib. II. p. 40. d. e.

Digitized by Google

das in voce τελετή: *g*) ex quibus satis adparet, a *pensione* sive *collatione sumtuum*, qui in *maiora* quaedam ac *mysteriosa sacrificia* impendebantur, *sacra* eiusmodi καταβολὰς fuisse nominata: nam de *sumtibus in commune collatis* frequentari consuevit & verbum καταβάλλειν & nomen καταβολὴ, quemadmodum etiam in eodem Suidae loco, de quo suscepta est haec tota disputatio, articulo II. legimus: οἱ ἐρανισταὶ τὰς καταβολὰς ποιοῦνται τῶν χρημάτων.

Accedamus ad illas vocis καταβολὴ significationes, de quibus uberiori quadam ratione egit Grammaticus noster. Primum ergo ait: » Καταβολή. περιοδικὴ λῆψις πυρετοῦ. « id est: *prehensio* sive *impetus febris, ex intervallo rediens.* Ad quam interpretationem, ut initio monui, & locus ille Demosthenis pertinet, & reliqua, quae artic. II. leguntur; quae quidem omnia, ad verbum, ex Harpocrationis Lexico decem Oratorum transscripta sunt. Quaenam vero sit *nona* ista *Philippica*, cuius adfertur fragmentum, neque a Küstero ad Suidam, neque ad Harpocrationem ab editoribus video adnotatum. Quatuor tantum ex Demosthenis orationibus hodie *Philippicarum* nomine vulgo insigniri notum est, quum undecim vel duodecim eiusdem Oratoris Philippicae apud veteres scriptores passim laudentur. Sed pridem docuerunt viri docti, caeteras hodieque pariter superesse, alias autem inscriptiones in fronte gerere. Sic monuit Fabricius, in Bibl. Graeca Tom. I. pag. 924. quam Dionysius Halicarnassensis *nonam* numerat Demosthenis Philippicam, eamdem esse, quae hodie περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ inscribitur. *h*) At in hac quidem frustra quae-

g) Nempe ibi haec legimus: Τελετή. Θυσία μυστηριώδης. ἡ μεγίστη καὶ τιμιωτέρα. ἀπὸ τῶν γινομένων εἰς αὐτὰς δαπανημάτων. τελεῖν γὰρ φαμὲν τὸ δαπανᾶν. Id est, interprete Küstero: » Τελετή. » Sacrificium mysticum, sive [sacrificium] maximum & valde » solenne. [Sic dictum] a sumtibus, qui in id impendebantur. » Τελεῖν enim est sumtus facere, vel impendere. «

h) Scilicet apud Dionysium Halicarnassensem, in Epist. ad Am-

ſiveris verba illa, quae ex nona Philippica laudat cum Harpocratione Suidas: ſed leguntur illa verba in ea oratione, quae *tertia Philippica* hodie numeratur p. 118. edit. Reiskii. *i*) Ibi ſcilicet Orator civibus ſuis, caeterisque Graeciae populis, creſcentem ſemper Philippi potentiam & ulterius in dies progredientem oppreſſionem Graeca-

maeum de Demoſthene & Ariſtotele, cap. x. (Tom. IV. operum ex edit. Reiskii pag. 738.) in Graeco quidem contextu *nona Philippica* illa ipſa, quam Fabricius dicit, numeratur. Sed turbatum aliquid eſſe in numeris, quibus ibi orationes Philippicae inſigniuntur, ſatis adparet.

i) In edit. Hieron. Wolfii an. 1572. eſt pag. 47. Eamdemque orationem Andreas Schottus, in Latina verſione praedictae Epiſtolae Dionyſii Halicarn. pariter *nonam Philippicam*, ut Harpocration, numerat; quum ſecundum vulgatam Graeci contextus ſcripturam *decima* haec ſit. Neque vero hoc uno loco *nonam* hanc numerat Harpocration; ſed & ſaepius alibi. Sic, exempli cauſſa, quae verba in voc. Ἔθνος ex *nona Philippica* laudat, ea in eadem noſtra *Philippica tertia*, brevi intervallo ante haec verba, de quibus nunc quaerimus, leguntur, pag. 117. edit. Reiskii. Eademque ratione, quae *decima Philippica* numeratur apud Harpocrationem in Καθήκοντα, hodie vulgo in Demoſthenis editionibus *quarta* eſt; (vide Demoſth. Reiskii p. 141. 11.) quae apud Dionyſium, ex vulgata Graeca ſcriptura, *undecima* vocatur. Pariter, retrogrediendo, quam *octavam* vocat Harpocration (vocab. Εἰσφοράσειν, Καβύλη &c.) illa eſt περὶ τῶν ἐν Χερρονήσῳ, quae *nona* vulgo ponitur apud Dionyſium: & ſic porro. Quod autem eadem illa *tertia Philippica*, quam apud Harpocrationem & Suidam *nonam* numerari diximus, tamen turſus apud eosdem in Ἐχῖνος *quinta* nominatur; (quod & Reiskius monuit in Apparatu ad Demoſth. Tom. II. p. 261.) id quidem errori librariorum utique eſt tribuendum. Nam, quam *quintam* aliàs numerat Harpocration, velut in Ἐκδεξάμενος & Ἐπιχυρεία, ea eſt, quae hodie περὶ Εἰρήνης inſcribitur. Praeter loca vero ſupra iam adlata, plura ſunt aliae apud eumdem Harpocrationem, verbi cauſſa in Εὐφραῖος, in Λυχνὸς, &c. ubi, quam ille *nonam* adpellat, noſtra *tertia* eſt: quae loca collecta habes in Elencho Scriptorum ab Harpocratione laudatorum, apud Fabricium in Bibliotheca Graeca Tom. IV. pag. 596.

Digitized by Google

rum civitatum otioſe atque ſecure ſpectantibus, neque quidquam contra molientibus, male ſanum torporem, imprudentiſſimamque negligentiam exprobrans: *Quisque*, ait, *noſtrûm, dum alius perit, tempus illud ſibi in lucro poſitum perſuaſus eſt: quod ad ſervandos Graecos pertineat, nemo cogitat, nemo quidquam agit.* Tum his verbis pergit: Ἐπεὶ, ὅτι γε, ὥσπερ περίοδος ἡ καταβολὴ πυρετοῦ ἤ τινος ἄλλου κακοῦ, καὶ τῷ πάνυ πόρρω δοκοῦντι νῦν ἀφεστάναι προσέρχεται, οὐδεὶς ἀγνοεῖ δήπου. Quae verba ita interpretatus eſt Hier. Wolfius: *Atqui eum* [Philippum puta] *tamquam converſionem atque acceſſionem febris, aut alterius mali, etiam in illum qui ſibi procul a periculo nunc abeſſe videtur, invaſurum, nemo eſt qui neſciat.*

Iam, ſicut in his Demoſthenis verbis vocabula περίοδος & καταβολὴ fere pro ſynonymis uſurpantur: ſic & ipſum nomen καταβολὴ Suidas interpretatur περιοδικὴ λῆψις πυρετοῦ, atque etiam, uberioris declarationis cauſſa, ex Harpocratione rationem addit, unde iſtam notionem hoc vocabulum videri poſſit accepiſſe. Ἐν ταῖς περιοδικαῖς νόσοις, ait, λέγεταί τις καταβολὴ, *k*) διὰ τὸ ἐν ἀποδεδειγμένῳ προϊέναι χρόνῳ· [videtur utique περιιέναι ſcripſiſſe, quod & Küſterus in verſione latina expreſſit, *quod ſtato tempore in orbem redeant:*] καθάπερ οἱ ἐρανισταὶ τὰς καταβολὰς ποιοῦνται τῶν χρημάτων. *ſicut eraniſtae* [*ſtato tempore*] *ſymbolas ſuas conferunt.* Ad quae verba monuit Küſterus, eraniſtas, (id eſt, collatitiorum conviviorum, quae ſtatis temporibus celebrabantur, ſodales) ſingulis menſibus ſymbolam ſuam in arcam communem contuliſſe; atque adeo vocabulum καταβολὴ, quod proprie ipſam *depoſitionem* vel *collationem pecuniae* ſignificat, per metaphoram ab iſto more ductam dici *de re, quae ſtatis tem-*

k) Sic legendum, λέγεταί τις καταβολή, ut editum eſt apud Harpocrationem; non, ut vulgo apud Suidam, λέγεταί τις καὶ καταβολὴ, perperam abundante coniunctione: qui error ante praepoſitionem κατὰ frequenter committi ſolet a librariis.

poribus in orbem redit. Et haec quidem utique eſt Grammaticorum noſtrorum, Suidae Harpocrationisque, ſententia. Sed, quam illa frigida ſit & ieiuna, quamque mira iſta atque dura ſive metaphora ſive metonymia, per ſe, nobis tacentibus, facile patet. Neque minus mira alienaque eadem interpretatio videbitur, ſi eam cum Demoſthenis loco, ad quem illa adfertur, conferamus.

Nempe manifeſte atque diſertiſſimis verbis Orator periculum, Athenienſibus a Philippo imminens, cum *malo inopinato* confert, quod *ſubito irruit, quo tempore longiſſime ab illo remotum te putas.* Atqui periodica acceſſio febris plerumque non inopinata eſt; ſaltem non ita, ut eam longiſſime a te abeſſe arbiteris. Et, verum ſi quaerimus, licet vocabulum καταβολὴ de *acceſſione* vel *impetu febris* aliorumque morborum periodicorum, veluti epilepſiae, fuerit uſurpatum; *l*) tamen in illa ſignificatione, neque ex propria quadam vi vocis, neque ex translata, reſpectus ullus ineſſe videtur ipſius *periodicae revolutionis*, ſive *circuitus*, quem ſervat morbus: ſed quaelibet *acceſſio*, quaelibet *invaſio* morbi, etiam prima omnium, aut maxime inopinata, καταβολὴ audit; ſive παρὰ τὸ καταβάλλειν τὸν πυρέττοντα, *m*) id eſt, quod impetus morbi *deiiciat* at-

l) Quo pertinet etiam, quod vocabulum καταβολῆσι Galenus in Γλωσσῶν τῶν Ἱπποκράτους ἐξηγήσει, id eſt, in Lexico Hippocratico, (laudatus a Foeſio in Oeconom. Hippocr. pag. 326. & ab Iungermanno ad Polluc. I. 16.) expoſuit περιοδικαῖς ἀρχαῖς παροξυσμῶν. Atque eodem modo intelligenda Gloſſa Heſychiana, ubi καταβολὴ, vel potius forma poëtica καταιβολὴ, (ut ex literarum ſerie fit manifeſtum) exponitur ἡ περιοδικὴ νόσος: quibus verbis non utique denotatur totus decurſus morbi periodici, ſed quilibet *paroxyſmus morbi ex intervallo recurrens.* De epilepſiae vero pariter ac de febris *paroxyſmo* uſurpatum eſſe vocabulum, diſerte docet idem Heſychius in καταβολὴ, ubi inter alias interpretationes hanc poſuit, ἐπὶ νόσος.

m) Quae eſt Hieron. Wolfii ſententia, in Adnotat. ad tertiam Philippicam, pag. 55.

Digitized by Google

que *proſternat* eum, qui ab illo corripitur; ſive potius, quod in eum veluti *coelitus demittatur*, & *cum impetu* in eum *incidat atque irruat*. Nempe eâdem prorſus ratione de eis, qui *a Deo corripi* putantur, in quos *divinus* veluti *ſpiritus ſubito demittitur atque invadit*, uſurpatum idem vocabulum legimus; *n*) ut καταβολὴ θεοῦ idem fere ſit, quod κάθοδος θεοῦ, ἐπιθειασμὸς, ἔμπνοια, κίνησις ἐκ θεοῦ. Itaque καταβολὴ πυρετοῦ idem prorſus fuerit, quod εἰσβολὴ πυρετοῦ, quod vocabulum non minus, quam alterum, in hac re frequentatur, & pariter *acceſſionem, invaſionem, impetum febris* denotat, nulla ratione habita periodici recurſus. Atque eodem pertinere utique videtur Heſychiana illa interpretatio, καὶ ὁρμή: *o*) ſive per ſe poſitum hoc vocabulum ſtatuamus; quemadmodum in Albertina editione, diſtinctione maiori interiecta, a praecedentibus ſeparatur; ſive cum praecedentibus iunctum malimus, quod in ſuperioribus editionibus commodius factum videtur, ut ſit ἢ τοῦ πυρετοῦ περίοδος καὶ ὁρμή.

Sed quid tandem ad rationem ſuam verbis Demoſthenis ſervandam tuendamque, ut de *acceſſione inopinata febris* dixiſſe intelligatur, profecimus, quod a nomine καταβολὴ illam *circuitus* notionem, quam ei cum Harpocratione Suidas tribuit, ſumus amoliti? quandoquidem ipſum vocabulum περίοδος diſerte adiectum videmus; cuius vis, cum ex uſu ſermonis, tum ex ipſa vocis originatione in *circuitu* & in *acceſſione ſtatis temporibus redeunte* proprie ſita eſſe videtur.

Ad hanc obiectionem equidem non auſim cum Reiskio reſpondere, *p*) »fieri poſſe, ut duo illa vocabula περίοδος »ἢ non oratori, ſed Scholiaſtae cuidam, debeantur.« Nam

n) Apud Pollucem in Onomaſtico, Lib. I. num. 16. Confer Salmaſium loco ſupra citato; nempe, ad Scriptores Hiſt. Aug. Tom. I. p. 142.

o) Vide ſupra not. *c*. pag. 175.

p) Apparat. ad Demoſth. Tom. II. pag. 252.

Digitized by Google

eadem verba non modo idem Harpocration in vocabulo Περίοδος repetit, sed & Aristides, *q*) quem laudat ipse Reiskius, & Chrysostomus in Homilia 26. in II. Epist. ad Corinth. pag. 738. citatus a Valesio ad Harpocrationem pag. 63. Sed nimirum idem vocabulum περίοδος, quamvis proprie *circuitum* denotet, tamen ex usu sermonis ipsam etiam *invasionem*, ipsum *impetum* morbi *ex intervallo redeuntem* significat; ita quidem, ut, qui illo vocabulo ista notione utitur, non tam de *circuitu* cogitet, quo revolvitur morbus, quam de *ipso morbo obrepente irruenteque*. *r*) Denique, si vel maxime urgere quis velit nativam vocabuli περίοδος notionem; putari poterit id spectasse Orator, ut innueret, iam olim aliquando timorem Philippi invasisse Athenienses, & aliquantisper illos tenuisse: qui, si nunc nihil prorsus mali ab illo sibi imminere putent, meminerint, sicut febris interdum in eum, qui prorsus ab illa se liberatum & longissime eam a se abesse sibi persuasit, subito redit, eumque inopinantem rursus corripit; sic Philippum subito in hos, qui longissime eum a se abesse putant, irruere solere. Sed, quidquid sit: quoniam tamen in illo vocabulo περίοδος aliquid inest, quod reditum ex circuitu, adeoque non prorsus inopinatum, significare possit; per aliquam veluti gradationem sermonis alterum nomen, καταβολὴ, adiecit orator, a quo nomine notio illa accessoria prorsus seiuncta est.

Altera notio vocabulo Καταβολὴ subiecta, quam profert Suidas, & pluribus etiam exemplis illustrat, illa est,

q) De Dict. Civ. pag. 186.

r) Quo pertinet illa Hesychii interpretatio: Περίοδος. τὸ ἐκ διαλειμμάτων ἐπιπεσὸν νόσημα. Nam sic, non ὄνημα, scribi debuisse, manifestum est. Eadem ratio est verbi περιέρχεσθαι, in illa phrasi τοῦτο περιῆλθεν εἰς αὐτὸν, quae proprie quidem ac vi originis de ea re dicitur, quae veluti *ex circuitu* ad aliquem *redit*, sed ex usu sermonis frequentatur pariter de re quae *prima* etiam *vice* ad aliquem *pervenit*; verbi caussa, de regno quod ad successorem devolvitur.

Digitized by Google

quam interpretatione καινούργησις declarat, id eſt, *novi operis molitio*. Scilicet iſtam notionem ineſſe vult Grammaticus illi nomini in phraſi ἐκ καταβολῆς, ad quam phraſin ſpectant omnia adlata exempla. Sed illa quidem notio non niſi ſecundaria eſt, & partim metonymica, partim metaphorica. Scilicet ex phraſi καταβάλλειν (vel καταβάλλεσθαι) θεμέλια, *fundamenta ponere* vel *iacere*, quam & alibi legimus & in Epiſtola ad Hebraeos VI. 1. *s*) orta eſt notio generalis verbo καταβάλλεσθαι ſubiecta, *fundare, inſtituere, incipere*. Sic Polyb. X. 24. [*] de Ecbatanis, regiâ quondam Medorum, ait, τὰ βασίλεια – – μεγάλην ἐμφαίνοντα τὴν τῶν ἐξ ἀρχῆς καταβαλλομένων εὐκαιρίαν. Id eſt, *tantam regia illa prae ſe fert magnificentiam, ut, quanta rerum omnium copia abundaverint, qui initio eam fundaverunt, facile ſit aeſtimatu*. Et Callimachus:

Ἀρσινόης, ὦ ξεῖνε, γάμον καταβάλλομ' ἀείδειν.
Arſinoës nuptias, hoſpes, canere ordior. *t*)

Atque hinc pariter nomen καταβολὴ & *fundamentum* notat, & cuiusque rei *fundationem, primam molitionem* vel *inſtitutionem* atque *initium*. Sic frequens in ſacris ſcripturis phraſis πρὸ καταβολῆς κόσμου, Ioh. XVII. 24. & alibi ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, Matth. XIII. 35. pro qua phraſi graecus Pſalmorum interpres Pſ. LXXVII. 2. ἀπ' ἀρχῆς poſuit. Hinc item καταβολὴ ἱερῶν ἀγώνων apud Pindarum, *u*) *ſacrorum certaminum initium*. Et Polybius XIII. 4. [*] κα-

s) Ibi ex aliis auctoribus loca nonnulla collegit Wetſtenius: quibus addi poteſt id, quod Henr. Stephanus adfert ex Themiſtio in VI. Phyſicor. ὅτι τὰ θεμέλια κατεβάλλετο, ἐγίνετο οἰκία.

[* Polyb. X. 27, 9. noſtrae edit.]

t) Apud Scholiaſten Pindari, ad Nemeenſ. Oden II. v. 5.

u) Loco modo citato: ubi Scholiaſtes, τὴν καταβολὴν, inquit, τουτέστι τὴν ἀρχὴν καὶ τὸν θεμέλιον τῶν ἱερῶν ἀγώνων ἀπὸ τοῦ Διὸς πεποίηται. Ὅτι δὲ καταβολὰς ἔλεγον τὰς ἀρχὰς οὕτως οὕτω φασοῦν ἔπους, Καλλίμαχος φησίν· Ἀρσινόης κ. τ. λ. Μετῆκται δὲ ἡ λέξις ἀπὸ τῶν τὰς οἰκίας κατασκευαζόντων καὶ βαλλόντων τοὺς θεμελίους.

[* Polyb. XIII. 6, 2, noſtr. edit.]

καταβολὴν ἐποιεῖτο, ait, καὶ θεμέλιον ὑπεβάλλετο πολυχρονίου τυραννίδος, *initium fecit, fundamentumque posuit diuturnae tyrannidis.* Similiter Iosephus de Bello Iud. II. 17, 2. τοῦτο δ' ἦν τοῦ πρὸς Ῥωμαίους πολέμου καταβολή. *Haec erat belli cum Romanis fundamentum atque primum initium.*

Itaque ἐκ καταβολῆς primum de rebus dicitur, quae *de novo, ac veluti a primo fundamento construuntur.* Sic de navibus, ἐκ καταβολῆς ναυπηγεῖν σκάφη, Polyb. I. 36. *novas* (veluti e fundamento, e carina) *exstruere naves.* Quo & pertinet fragmentum a Suida ex eodem fortasse Polybio prolatum, ἐκ καταβολῆς πεντήκοντα ναῦς ναυπηγήσασθαι. x) Quae verba bene habent, subintelligendo ἔψηφίσαντο, *decreverunt*, aut aliquid simile. Sed quae sequuntur, πεντήκοντα δὲ ὑπαρχουσῶν καταλθεῖν ἐκ τῶν νεωρίων, a librariis sunt corrupta. Nil huc facit καταλθεῖν, pro quo καθέλκειν haud dubie rescribendum. καθελκύειν ναῦς, *naves in mare deducere* vel *demittere*, apud Polybium habemus I. 21. & καθέλκειν τριήρεις saepius apud Demosthenem, cuius loca huc spectantia Reiskius in Indice collegit. [*] Sed vel sic etiamnum laborat oratio, & vel accusativus πάσας intercidisse ad verbum καθέλκειν putandus est, vel ὑπαρχουσῶν in ὑπαρχούσας mutandum; nisi leviori etiam medicinâ πεντήκοντα τῶν ὑπαρχουσῶν scriptum malueris, quae mihi ratio potior videtur, hac sententia, *quinquaginta de eis, quas iam haberent, ex navalibus in mare deducendas.*

Tum vero ἐκ καταβολῆς ποιῶ vel ποιοῦμαί τι significat *incipio aliquid facere, nunc primum*, vel *nunc demum hoc facio.* Quae notio in illo obtinet exemplo: Οἱ δὲ πρεσβευταὶ, θεασάμενοι τὸν ἐπίπλουν τῶν Ῥωμαϊκῶν πλοίων, ἐκ

x) Ac videtur nomen Πολύβιος, quod post haec verba ponitur, non tam ad sequens Fragmentum, quam ad ipsum hoc quod praecessit, referendum; a quo etiam in antiquis Suidae editionibus non nisi minimâ distinctione interiectâ separatum est.

[* Conf. Lexicon nostrum Polybianum, voc. Καθέλκειν & Καθελκύειν.]

Digitized by Google

καταβολῆς ἐποιοῦντο τὴν ἀναχώρησιν. *Piratae, ubi Romanas naves viderunt advenientes,* TUM DEMUM *se recipere coeperunt.* Parique modo primum illud Fragmentum, a Suida recitatum, videtur accipiendum: Τῶν δὲ Μακεδόνων ἐκ καταβολῆς συνερισάντων τοῖς βαρβάροις, εὐθέως ἐκκλίναντες ἔφευγον. id est: *postquam vero Macedones impressionem in barbaros facere coeperunt, atque ita novi veluti certaminis initium est factum, tum protinus fugam illi capessiverunt.* Puta, contra mercenarios aut contra levem armaturam fortiter pugnasse barbaros; ubi vero res ad Macedonas pervenit, horum vim non sustinuisse. [*] Caeterum, quod ibi legitur, verbum συνερισάντων, haud satis emendate scriptum esse perspecte vidit Valesius in fragmentis Polybianis, & συνερείσαντων correxit: de cuius emendationis veritate non est, quod dubitemus. Nam συνερίζω, quod apud Suidam recte exponitur φιλονεικῶ, id est, *rixor, contendo*, non eam sane vim habet, quam locus iste requirit; ubi de *valida impressione* phalangis Macedonicae agitur, quae barbaros in fugam compulit. Apud Polybium V. 84. de pugna elephantum legimus, ὀλίγα τινὰ (θηρία) συνήρεισε τοῖς ἐναντίοις. id est: *nonnulli impressionem fecerunt, magno nisu coorti sunt in adversarios:* ubi unus quidem Augustanus codex pariter συνήρισε habet, sed caeteri in συνήρεισε consentiunt. Moxque rursus ibidem legimus: βίᾳ διερειδόμενα (τὰ θηρία) περὶ τῆς χώρας, *quanta maxima vi pollent, connituntur, de statione inter se contendentes.* Similiter in pugna navali apud Diodorum Siculum XIII. 46. ὁπότε δὲ συνερείσειαν αἱ ναῦς, *quoties naves inter se collisissent,* vel *impressione facta alia in aliam esset impulsa:* ubi quidem eodem errore, librariis solenni, pariter codex unus συνερισάντων

[* Iterum iterumque perpensis deinde duobus istis fragmentis, non modo suspicari coepi, sed plane mihi persuasi, utrobique scripturam istam, ἐκ καταβολῆς, vitiosis ex Codicibus in Suidae Lexicon esse propagatam, cum ἐκ μεταβολῆς scriptum oportuisset, i. e. *conversо agmine, conversione facta.* Vide notas nostras ad Polyb. I. 36, 8. & Fragm. Polyb. Tom. V. pag. 91 seq. nostrae edit. num. 83, & 84.]

Digitized by Google

habet. Sic & ad Hesychium, ubi *συνερίσαντα* exponitur *συνάψαντα*, recte monuerunt viri docti, *συνερείσαντα* fuisse scribendum.

Liceat his alium usum nominis καταβολὴ, in cuius expositione versamur, subiungere, non valde dissimilem illi, quo *fundamenti* notione accipitur: hunc dico usum, quo ad *hominum ortum* atque *ad generis originem* transfertur idem vocabulum. Veluti apud Plutarchum in libello Πότερον Ὕδωρ ἢ Πῦρ χρησιμώτερον. pag. 956. ἐξ ἀρχῆς καὶ ἅμα τῇ πρώτῃ καταβολῇ τῶν ἀνθρώπων, *y*) *ab initio & a prima statim origine hominum*: & apud Arrianum in Dissertationibus Epicteti Lib. I. cap. 13. *Mancipium! non feres fratrem tuum, qui genus a Iove ducens*, ὥσπερ υἱὸς ἐκ τῶν αὐτῶν σπερμάτων γέγονε, καὶ τῆς αὐτῆς ἄνωθεν καταβολῆς: *ut filius ex eisdem tecum seminibus procreatus est, & ex eadem coelesti origine.* [*] Ac potest quidem ista dictio ab eadem illa, de qua supra dictum est, θεμέλιον καταβάλλεσθαι, *fundamentum iacere*, derivata translataque videri; praesertim cum, vulgatissima nominis transmutatione, in omnium fere populorum idiomatibus *domum* pro *familia* dictum videamus. Quo fere respectu Euripides in Hercule furente ζ) dixit:

Ὅταν δὲ κρηπὶς μὴ καταβληθῇ γένους
ὀρθῶς, ἀνάγκη δυστυχεῖν τοὺς ἐκγόνους.

Id est: *Ubi fundamentum generis non iactum est recte, necesse est infelicem esse prolem.* Sed ista, quam nunc dico, acceptio nominis καταβολὴ ex alia potius ῥίσει proniori alveo derivata est: ex ea nempe, qua καταβάλλειν σπέρμα, & καταβολὴν σπέρματος, proprie de *semine in terram sparso*, translate vero de *prolis generatione* Graeci usurparunt; cuius locutionis in utramque partem exempla bene multa collegit Wetstenius ad Epist. ad Hebraeos XI. 11. Nec ab-

y) Quem locum laudavit Wetstenius ad Matth. XIII. 35.

[* Vide Epicteti Dissert. I. 13, 3. & ad eum locum cum ab Uptono tum a nobis notata.]

ζ) Vers. 1264 sq. edit. Musgr. Tom. III.

Digitized by Google

horret ab eodem uſu ſermo Romanorum: quo pertinet *Hercules Iovis ſatu editus*, apud Ciceronem de Officiis I. 32. & *caritas generis humani, nata a primo ſatu, quo a procreatoribus nati diliguntur*, apud eumdem de Finibus Bonor. V. 23. & *ex hominum pecudumve conceptu & ſatu orta oſtenta*, de Divinat. I. 42. Atque ita etiam illa πρώτη καταβολὴ τῶν ἀνθρώπων apud Plutarchum, loco ſupra citato, propius quodammodo ad verbum *primus ſatus* vel *prima ſatio hominum* poterat latine dici; & τῆς αὐτῆς ἄνωθεν καταβολῆς, apud Epictetum, *ex eadem de coelo ſatione*.

X.

ΣΑΜΒΎΚΗ. SAMBUCA.

»ΣΑΜΒΎΚΑΙ. ὄργανα μουσικὰ τρίγωνα, ἐν οἷς τοὺς »ἰάμβους ᾖδον. – – ἔστι δὲ εἶδος κιθάρας τριγώνου. Οἱ δὲ »προσεβοήθουν ἐπὶ τὸ διατείχισμα, καὶ πρὸς τοὺς ἀπὸ τοῦ »λιμένος, ἀπὸ τῶν ὑπερεισδόντων ἐπὶ τὸ τεῖχος τὰς »σαμβύκας.« Küſterus: »Sambucae, inſtrumenta muſica »triquetra, quibus Iambos canebant. – – Eſt autem ge»nus citharae triquetrae.« Ad poſteriora vero verba, quum verſionem Latinam non adſcripſiſſet editor, in ſubiecta adnotatione ait: »Fragmentum hoc eſt calx absque »arena, cuius proinde verſionem conſulto omiſi.« — Nec tamen adeo difficile videtur, ſi non certâ atque invictâ ratione, tamen inſigni cum ſpecie veri, turbatum refingere locum. Poſt verba ἀπὸ τοῦ λιμένος, per oſcitantiam, librarius aliquis duo verba ἀπὸ τοῦ repetierat; unde, quum ſemel turbata eſſet oratio, facile novae oriebantur turbae. Corrige καὶ πρὸς τοὺς ἀπὸ τοῦ λιμένος ἐπερείδοντας ἐπὶ τὸ τεῖχος τὰς σαμβύκας. & verte: »*Illi vero ad defendendum murum adcurrerunt, adverſus eos, »qui a portu ſambucas ad murum adplicabant.*« *a*) Ac ſatis

a) A qua ſententia non multum abit *Aemilii Porti* interpretatio, niſi quod in poſtrema parte a vero paulisper aberravit. »Alii »vero (ait) ad opem ferendum accurrebant ad interiectam mu-

adparet, Fragmentum hoc, quod Polybianum esse videtur, non spectare ad illam notionem primitivam vocabuli σαμβύκη, de qua dicere ingressus erat Suidas, monens instrumentum musicum triquetrum notari; *b*) sed ad alteram, quae post praedictum fragmentum his verbis exponitur: Σάμβυκες, εἶδος μηχανήματος πολιορκητικοῦ, ὡς φησι Πολύβιος. id est: »Sambyces, genus machinae, quae »ad oppugnandas urbes adhibetur, ut ait Polybius.«

Structuram, atque usum huius machinae, quae a similitudine illius instrumenti musici nomen invenit, Polybius docuit in Marcelli rebus ad Syracusas gestis, Historiarum Lib. VIII. cap. 5. 6. 7. ad cuius praescriptum figuram satis commode delineatam dedit Iustus Lipsius, Poliorcet. Lib. I. Dialog. 6. *c*)

Recteque ibidem monuit idem Lipsius, apud veteres scriptores, qui quidem ante Vegetium scripserunt, non nisi in maritimarum urbium oppugnatione mentionem huius machinae fieri; ubi scilicet navibus, in quibus erecta stabat machina, aditus ad ipsa moenia patebat. Sic certe & Appianus in Rhodi oppugnatione, a Mithridate susceptа, σαμβύκην, μηχάνημα μέγιστον ἐπὶ δύο νεῶν φερό-

»nitionem, & ad eos qui *veniebant* a portu, ab illis qui Sam»bucas supra murum *iam* collocabant, *ut eum quassarent ac de*»*molirentur.*«

b) Illud cum *Harpa* nostra rectissime conferri, post Turnebum Adversarior. XX. 1. monuit Marcellus Donatus ad Livii librum XXXIX. cap. 6. in edit. Drakenb. & in Gruteri Thesauro Critico Tom. VI. Part. II. pag. 78.

c) Est etiam apud *Bitonem* (quem hoc nomine laudat Athenaeus in Deipnosoph. XIV. pag. 634. a. edit. Casaub.) in Κατασκευαῖς πολεμικῶν ὀργάνων καταπελτικῶν, quae in *veteribus Mathematicis* Lutetiae an. 1693. editae sunt, *Sambucae* descriptio: quae tamen & differt a Polybiana, & nobis quidem, cum ob ipsius argumenti rationem a nostra cognitione remotioris, tum & librariorum fortasse culpâ, obscurior est; quum praesertim ipsius schematis delineatio, ad quam refertur, tam in edito libro, quam in msto Codice quem possidet Bibliotheca Academiae nostratis, desideretur.

Digitized by Google

μενον, commemorat; *d*) & Athenaeus ille Mechanicus, cuius libellus περὶ Μηχανημάτων inter *Veteres Mathematicos* Pariſiis A. 1693. editus eſt, poſtquam de Helepoli aliisque machinis ad urbium oppugnationem ſpectantibus verba fecit, ſatis perſpicue indicat, quas machinas *Sambucas* vulgo vocant, *eas e navibus ſemper erectas eſſe*. *e*) Itaque in Fragmento illo, quod ex Suida retulimus, *a portu ad murum adplicantur Sambucae.* Verbum autem ὑπερείδειν, cuius vis in *fulciendo*, *ſuffulciendo*, ineſt, locum utique obtinere ibidem non poſſe videtur: ſed, quod ſaepiſſime factum deprehendimus, ut initiales ſyllabae ἐπ & ὑπ perperam inter ſe permutatae ſint, (quoniam ſcripturae compendium, quo vocalis ε connecti a librariis cum litera π ſolet, eamdem fere ſpeciem refert, quam habent iunctae literae υπ) idem accidiſſe hoc loco probabile eſt. Habet autem phraſis ἐπερείδειν ἐπὶ τὸ τεῖχος eamdem vim, & paulo etiam maiorem, quam habet προσερείδειν τῷ τείχει, qua Polybius alibi utitur in urbium oppugnationibus, cum de ſcalis muro adplicandis, tum de ipſis ſambucis. *f*)

Quod autem Suidas, ubi a primitiva vocabuli σαμβύκη ſignificatione ad alteram hanc translatam notionem progreditur, alia ſubito utitur forma nominis, &, quum antea σαμβύκαι ſcripſerit, nunc σάμβυκες ſcribit, tamquam a ſingulari σάμβυξ, id mirum utique debet videri; quandoquidem & apud Polybium, *g*) ad quem provocat Grammaticus, αἱ σαμβύκαι, τῆς σαμβύκης, τῇ σαμβύκῃ, τὰς σαμβύκας legimus, & conſtanter eamdem formam apud caeteros pariter ſcriptores frequentatam videmus. At eſt tamen apud Polybium in eadem hiſtoria oppugnationis Sy-

d) Hiſtoria Mithridatica cap. 26 ſeq.

e) Pag. 7. Αἱ δὲ ἐκ τῶν πλοίων μηχαναὶ, ἃς τινας σαμβύκας προσαγορεύουσι, οὐκ ἔχουσί τι ἄξιον γραφῆς, διὰ τὸ πᾶσιν εὐγνώστους εἶναι.

f) Vide Polybium VIII. 5. IX. 18. [Conf. Lexic. Polyb. voc. Προσερείδειν.]

g) Lib. VIII. cap. 5. 6. 7.

Digitized by Google

racusarum, in qua saepius idem vocabulum repetitur, unus locus, quo non solum in editis omnibus, sed & in quatuor, quos vidi, manu exaratis libris, τὰς λεγομένας σάμβυκας scribitur, cum accentu in antepenultima, [*] quod indicium est tertiae declinationis, cuius primus casus in plurali numero fuerit σάμβυκες. Nisi quid igitur ab iis librariis turbatum est, qui Lexicon Grammatici nostri descripserunt; suspicari licebit, in eodem codice Polybiano, ex quo illa apud Suidam glossa derivata est, iam eamdem scripturam σάμβυκας, pro σαμβύκας, eo quo dixi loco obtinuisse, atque inde a Grammatico nominativum σάμβυκες esse formatum. Turbatum autem apud Suidam in hac regione aliquid esse, iam supra docuimus, cum moneremus, fragmentum illud, de *sambuca a portu ad murum admota*, perperam adsutum esse illi articulo, qui de instrumento musico agit. Ac fortasse monuerat hoc loco Grammaticus, nomen istud apud Polybium non solum eâ formâ, quae est primae declinationis, sed & alterâ inveniri, quae tertiae est. *h*) Nescio vero, an illud quoque adnotari hoc loco mereatur, quod in superiori fragmento pro τὰς σαμβύκας (quod Küsterus, nihil de correctione monens, edidit) veteres editiones τοὺς σαμβύκας dederint: ubi quidem Portus monuerat, aut τὰς σαμβύκας esse scribendum, aut τοὺς σάμβυκας; scilicet tamquam a singulari ὁ σάμβυξ.

[* Polyb. VIII. 6, 2. quem ad locum vide quae a nobis notata sunt; ubi simul ad VIII. 7, 8. & ad V. 37, 10. provocavimus, quibus locis in eamdem scripturam libri mssti consentiunt.]

h) Attamen HERO ille, cuius habemus *De repellenda Obsidione* libellum, (inter veteres Mathematicos editum) non σάμβυκας, sed σαμβύκας, videtur legisse. In illo enim libello, ubi tota ista Polybii narratio verbotenus inserta exhibetur, (p. 326.) mendose quidem expressum est τὰς λεγομένας σαμβύκλας; sed eiusmodi est mendum sive librarii, sive typothetae, ex quo saltem intelligatur, nomen primae declinationis, non tertiae, dari debuisse.

Digitized by Google

Sed quidquid huius rei sit, aliam eiusdem vocabuli significationem adnotasse iuvabit, quam silentio prorsus praeteriit Grammaticus noster; nisi forte in ipsa illa scriptura σάμβυκες, pro σαμβύκαι, latere suspicemur aliquid huc spectans, quod a librariis neglectum fuerit atque mutilatum. Scilicet Lib. V. Historiar. Polybii cap. 37. narratur, Cleomenem, Spartanorum olim regem, Alexandriae tunc in aula Ptolemaei Philopatoris exsulem, quum in portus crepidine obambularet, adpellentem in portu vidisse Nicagoram Messenium, ex eoque quaesisse, quo consilio advenisset? *i*) Illum respondisse: *equos advehens veni.* Tum reposuisse Cleomenem: Ἐβουλόμην ἄν σε καὶ λίαν, ἀντὶ τῶν ἵππων κιναίδους ἄγειν καὶ σάμβυκας. Sic enim cum accentu in antepenultima, non σαμβύκας penacute, non solum in quatuor prioribus Polybii editionibus, sed in omnibus codicibus (quorum quatuor ipsi contulimus, ex tribus vero lectiones discrepantes excerptas habemus) scriptum legitur; a qua scriptura temere discessum est in editione Lipsiensi Ernestina. Hoc igitur dixit Cleomenes: *Quam vellem, loco equorum cinaedos ac sambucistrias potius advexisses! In his enim is, qui nunc rex est, studium omne suum ponit.* Quo loco σάμβυξ, si veram statuamus istam scripturam, *k*) vel σαμβύκη, (quod eo-

i) Τί παρών. Sic scribendum cum Cod. Mediceo; non, ut vulgo, τί παρῆν.

k) Non enim pertinaciter quidem contendam, veram esse istam scripturam; praesertim, quum apud alium nullum auctorem eadem forma σάμβυξ reperiatur: sed in re dubia discedi non debuit a consentiente Codicum scriptura. Caeterum, si vera fuerit illa forma σάμβυξ, non videtur idcirco necessario differre significatio duorum nominum σάμβυξ & σαμβύκη, licet usus sermonis differentiam aliquam potuerit invehere. -- [* Vocabulum Σάμβυξ primâ origine *proprium* fuisse *nomen viri qui instrumentum istud invenerit*, ex Scamonis Mitylenaei libro περὶ Εὑρημάτων adnotavit Athenaeus, XIV. 637. b. Caeterum, facile credas, ab eiusdem inventoris nomine *ipsum* etiam *instrumentum*, quod σαμβύκη vulgo vocabatur, σάμβυκα (a recto casu σάμβυξ) a nonnullis fuisse denominatum. Denique nil mirum est, eadem vo-

dem redire videtur,) non tam *Sambucam*, inſtrumentum muſicum, quam *Sambuciſtriam*, quae pulſat ſambucam, ut perſpecte vidit Caſaubonus, denotare conſentaneum eſt. Cum quo convenit, quod apud Plautum in Sticho legimus Act. II. Sc. 2. v. 56 ſq.

— — — — *fidicinas, tibicinas,*
ſambucas advexit ſecum formâ eximiâ. — —

Nam quod *Sambucinas* ibi vulgo editur, id contra veterum Editionum & contra Codicum manuſcriptorum (quoad quidem ſciam) fidem eſt factum. Metri-ne ratio mutationem eiusmodi requirat, cum *u* in *Sambuca* longum eſſe conſtet ex Perſii v. 95. Satyr. V.

Sambucam citius caloni aptaveris alto:

definiendum illis relinquimus, quibus Plautinum metrum magis, quam nobis, exploratum eſt. Nobis quidem ipſum metrum etiam *Sambucas* flagitare videtur. Eamdem autem veterem ſcripturam, iam pridem defenderat Ioh. Bapt. Pius, in Annotationibus poſterioribus cap. 3. Tomo I. Theſauri Critici Iani Gruteri pag. 393. & Marcellus Donatus ad Livii lib. XXXIX. 6. in eodem Theſ. Critico Tom. VI. Part. II. pag. 78. [*]

cabula, ἡ σαμβύκη, & ὁ vel ἡ σάμβυξ, quae *inſtrumentum* ſignificabant, per metonymiam interdum de iis etiam *hominibus, qui inſtrumentum pulſabant*, fuiſſe uſurpata. Simillimâ quidem ratione vernaculo etiam ſermone, verbi cauſſâ, *un bon violon* dicimus, eum *hominem* intelligentes, *qui inſtrumento*, cui proprie id nomen, *ſcite ſolerterque utitur.*]

[* De Graecorum uſu, quod ad quantitatem ſyllabae βυ in vocabulis de quibus quaerimus adtinet, haud ſatis conſtat. Apud Athenaeum, IV. 175. d. habemus quidem verſum ſenarium Philemonis,

σύ γ' οὐδὲ σαμβυκίστριαν. — — —

Ex quo tamen, quoniam ſyllaba βυ in tertia verſus iambici ſede poſita eſt, ubi perinde & ſpondeo pedi & iambo locus erat, de quantitate illius ſyllabae iudicari non poteſt. Apud eumdem Athenaeum, XIV. 636. b. σαμβύκαι in nominativo plurali penacute ſcribitur: quae ſi vera ſcriptura, non producta ſyllaba βυ, ſed correpta intelligi debebit. Caeterum facile mihi

Ad eamdem vero significationem vocabuli σάμβυξ & σαμβύκη manifeste adludere videtur iocus ille M. Marcelli, quum siniſtro rerum ſuarum ad Syracuſas ſucceſſui ipſe irridens, dixit: ταῖς μὲν ναυσὶν αὐτοῦ κυαθίζειν ἐκ θαλάττης Ἀρχιμήδη· τὰς δὲ σαμβύκας, (ſic ibi, penacuta voce, omnes ſcribunt Codices) ῥαπιζομένας, ὥσπερ ἐκσπόνδους, μετ' αἰσχύνης ἐκπεπτωκέναι. *l*) *Navibus ſuis Archimedem potum infundere ex mari; m*) *ſambucas vero, veluti ad ſocietatem compotationis non pertinentes, ignominioſe verberibus eſſe iectas.* Quod frigide dictum & ſine ullo ſale foret, niſi ea eſſet vocabuli *Sambuca* ambiguitas, ut non

perſuadeo, in huiusmodi vocabulis, quae non ſunt Graecae originis, vocalem per ſe apud Graecos ancipitem promiſcue ab aliis corripi potuiſſe, ab aliis produci.]

l) Polyb. VIII. 7. [* In noſtra edit. vide Reliquias libri VIII. cap. 8. num. 6. & conf. quae ad eum locum notavimus, Tom. VI. pag. 455 ſq. Quibus adde quae de verbo ῥαπιζομένας ad Athen. XIV. 634. monuimus.] Quod autem apud Athenaeum, Polybii verba referentem, Deipnoſoph. lib. XIV. pag. 634. b. pro verbis ὥσπερ ἐκσπόνδους, quae ſunt apud Polybium, ἐκ πότου legitur; id vel interpretationis loco ab Athenaeo ita ſcriptum fuerit, vel ex memoria recitatum: niſi utramque dictionem coniunctam apud Polybium malis, ὥσπερ ἐκσπόνδους ἐκ πότου μετ' αἰσχύνης ἐκπεπτωκέναι. Certe, exquiſitius illud & ſignificantius vocabulum ἐκσπόνδους Polybio h. l. eripi, aegre equidem patiar.

m) Namque, ut Livius ait Lib. XXIV. cap. 34. *quae propius ſubibant naves, in eas, tollenone ſuper murum eminente, ferrea manus firmae catenae inligata quum iecta prorae eſſet, gravi libramento plumbi recellente ad ſolum, ſuſpensâ prorâ navim in puppim ſtatuebat: dein, remiſſa ſubito, veluti ex muro cadentem navim cum ingenti trepidatione nautarum ita undae adfligebat, ut etiamſi recta reciderat, aliquantum aquae acciperet.* Et ſignificantius etiam Polybius, loco citato: τινὰ μὲν τῶν πλοίων πλάγια κατέπιπτε, τινὰ δὲ καὶ κατεστρέφετο. τὰ δὲ πλεῖστα, τῆς πρώρας ἀφ' ὕψους ῥιφείσης, βαπτιζόμενα, πλήρη θαλάττης ἐγίγνετο καὶ ταραχῆς. Id eſt: *Pars navium oblique decidebat, ac nonnullae etiam prorſus ſubvertebantur; pleraeque vero, prorâ ex alto deiectâ, mari immerſae, aquâ ac tumultu complebantur.*

Digitized by Google

modo *bellicam machinam* & *inſtrumentum muſicum*, ſed etiam *puellam ſambucá canentem*, denotaret.

XI.

RHODIORUM LEGATIO AD ANTIOCHUM.

»ΣΥΝΕΠΙΣΧΥΣΑΣ. *συναγωνισάμενος. Δύναμιν παρασχὼν κωλύειν τὸν Ἀντίοχον παραπλεῖν, οὐκ ἀπεχθείας χάριν, ἀλλ' ὑφορώμενος μὴ Φιλίππῳ συνεπισχύσας ἐμπόδιον γένηται τῇ τῶν Ἑλλήνων ἐλευθερίᾳ.* « — Küſterus, fere cum Aemilio Porto: » *Συνεπισχύσας.* Copiis aliquem »adiuvans. Vires cum aliquo coniungens. *Copiis datis iuſ»ſit eum Antiocho praeternavigaturo obſiſtere, non odio vel ini»micitia adductus, ſed quia metuebat, ne coniunctis cum Phi»lippo viribus impedimento eſſet Graecorum libertati.* « Miſere hic locus in veteribus editionibus fuerat deformatus, quum & in titulo, & in Fragmento, quod tacito auctoris nomine adfertur, *συνεπισχήσας* legeretur; quod in *συνεπισχύσας* (verbum Polybio frequentatum) mutandum eſſe, poſt Iſ. Caſaubonum *n*) Aem. Portus monuit; quos ſecutus eſt Henr. Valeſius, qui in Fragmentis Polybianis *o*) *συνεπισχύσας* edere non cunctatus eſt: atque id ipſum denique ex Pariſienſibus Msstis Küſterus Suidae reſtituit. Sed ne ſic quidem perſanatus locus eſt. Primum enim, quod verba *δύναμιν παρασχὼν* cum ſequentibus copulant, ac ſi verba eſſent auctoris eiusdem cuius ſunt ea quae ſequuntur, male faciunt; quum ſatis adpareat, nihil eſſe aliud, niſi interpretationem a grammatico adiectam ad alterum interpretamentum *συναγωνισάμενος*, quo planius vis verbi *συνεπισχύσας* declaretur. Igitur hoc modo diſtinguenda verba erant: *Συνεπισχύσας. συναγωνισάμενος. δύναμιν παρασχών. Κωλύειν τὸν Ἀντίοχον &c.* Atque ita

n) In Fragmentis Polybianis, ad calcem Polybii, p. 1028. In edit. Gronov. Tom. II. p. 1540. Edit. Ern. Tom. III. p. 262.

o) Ad calcem Excerptorum de Virt. & Vitiis pag. 218. In Polyb. Ern. Tom. III. p. 291. Edit. Gronov. Tom. II. p. 1564.

Digitized by Google

quidem distinctam orationem in Suidae codice msto, qui est in Collegio Corporis Christi Cantabrigiensi, invenit Iac. Gronovius; quemadmodum ille in ora exempli suae editionis Polybii adnotavit, quod ex Bibliotheca Universitatis Lugdunensis, cum reliquo copioso Adparatu Gronoviano ad Polybium, nobiscum communicavit Ill. Ruhnkenius.

Quod autem in eodem codice msto pro Κωλύειν scriptum esse Gronovius ait Κωλύει δὲ, id sententiam quidem, quae in verbo infinito κωλύειν suspensa haeret, haud absurde complet, & per se commodum videri poterat; ni res, de qua agitur in illo ipso Fragmento, a Suida adlato, refragaretur. Scilicet quemadmodum colore styli Polybiani, qui ex verbis istis quamvis abruptis satis perlucet, commotus Casaubonus, pariterque Valesius, perspecte fragmentum hoc ad Polybium auctorem retulerunt: sic Livius, Polybianarum Historiarum (in rebus praesertim Philippi & Antiochi) perpetuus interpres, declarat nobis, quid sit, de quo agebatur apud Polybium eo loco, unde verba ista decerpsit Suidas. *Multa egregia Rhodii* (sic apud Livium legimus lib. XXXIII. cap. 20.) *pro fide erga populum Romanum, proque universo nomine Graecorum, terra marique ausi sunt: nihil magnificentius, quam quod ea tempestate, non territi tanta mole imminentis belli, legatos ad regem* [Antiochum] *miserunt Nephelida:* (*promontorium Ciliciae est:*) *si eo non contineret copias suas,* SE OBVIAM ITUROS; NON AB ODIO ULLO, SED NE CONIUNGI CUM PHILIPPO PATERENTUR, ET IMPEDIMENTO ESSE ROMANIS LIBERANTIBUS GRAECIAM. Quibus ex verbis Romani Scriptoris, si quidem ea cum aliis Polybianae Historiae Reliquiis conferamus, intelligitur, in decimo octavo Polybii libro, paulo ante ea quae in Excerptis Peirescianis de obitu & de laudibus Attali leguntur, *p*) se-

p) Excerpt. de Virt. & Vitiis ex edit. Valesii pag. 101. Edit. Gron. Tom. II. p. 1428. Edit. Ern. Tom. III. p. 80. Eadem Livius persequitur eodem libro XXXIII. cap. 21.

Digitized by Google

dem ſuam habuiſſe Fragmentum noſtrum: (*] in quo tenendum eſt verbum κωλύειν, quidquid tandem fuerit quod in oratione olim integra apud Polybium illi reſponderit; q) tum vero adparet, verbum ὑφορώμενος, perperam in ſingulari numero poſitum, cum ὑφορώμενοι in plurali eſſe mutandum.

XII.

ΣΥΝΝΟΜΟΙ ΛΙΘΟΙ.

»ΣΥΝΝΟΜΩΝ. *μεγάλων. ὁμοίων.* Ἐξηριθμήσατο τοὺς »ΔΟΜΟΥΣ. *ἦν γὰρ ἐκ συννόμων λίθων ᾠκοδομημένος. ὥστε* »*καὶ λίαν εὐσυλλόγιστον εἶναι τὴν ἀπὸ γῆς τῶν ἐπάλξεων* »*ἀπόστασιν.*« — Küſterus: »Συννόμων. Magnorum. Si»milium. (Caeſorum. Quadratorum. Epithetum lapidum) »*Numeravit domos, quae ex caeſis lapidibus aedificatae erant:* »*ita ut pinnarum diſtantia a terra ratione facili colligi poſſet.*« Quod vocabulum *συννόμων* per *μεγάλων* interpretatus eſt Grammaticus noſter, id ex accidenti, ut aiunt, id eſt, pro ratione adiunctorum atque nexus orationis, in quo uſurpatur illud vocabulum, verum eſſe poterat. Σύννομοι λίθοι ſunt *lapides quadrati*, maiores praeſertim, *ad eamdem legem atque menſuram caeſi*, adeoque *inter ſe aequales*. De qua notione, voci illi ſubiecta, recte Küſterus in notis ad hunc locum, provocavit ad ea, quae ad Strabonis Lib. XVII. p. 817. monuerat Iſ. Caſaubonus. Sed quas DOMOS narrat interpres, *ex caeſis lapidibus aedificatas*, eas & Suidas ignorat, & auctor Anonymus, cuius verba recitavit Lexicographus: ac facile adparet, a ſententia Graecorum verborum longiſſime hoc loco aberraſſe cum Aemilio Porto doctiſſimum Küſterum. Nempe δόμοι, quos numeravit, quisquis ſit, de quo ibi agit Scriptor cuius hoc fragmentum eſt, quorum e numero facile erat alti-

[* Vide in noſtra editione Polybii *Reliquias libri XVIII. cap. 24. ſegm. 11.* & Adnotat. ad eumdem locum, Tom. VII. p. 379.]

q) Puta δεδόχθαι Ῥοδίοις, *decreviſſe Rhodios*, aut aliquid ſimile.

Digitized by Google

tudinem aedificii colligere, non ſunt *domus*: ſed δόμοι λίθων, *ordines* ſunt *atque ſeries* ſive *ſtrata lapidum*, ex quibus murus erat exſtructus. Quam ſignificationem nomini iſti vindicavit Iac. Gronovius ad Herodotum I. 179. & Weſſelingius ad Diodorum Siculum I. 64. Idemque nomen eadem notione occurrit in illo Demetrii Phalerei dicto, *r*) quod a Polybio relatum in Excerptis ex Hiſtoriarum Libro X. cap. 22. vulgo non ſatis emendate his verbis legebatur: Καθάπερ ἐν οἰκοδομίαις, ἐὰν κατὰ μίαν πλίνθον ᾖῆς, καὶ καθ' ἕνα δεσμὸν, καὶ καθ' ἕνα δόμον ἐπιμελείας τύχῃ τὸ παραῤῥᾳγὲν, οὕτως ἐν στρατοπέδῳ τὸ κατ' ἄνδρα καὶ κατὰ λόχον ἀκριβωθὲν, ὅλην ποιεῖ τὴν δύναμιν ἰσχυράν. Verbum ᾖῆς perſpectae emendationi Iſ. Caſaubóni debetur, cum perperam ᾖεὶς eſſet ſcriptum. Sed quae ſequuntur quatuor verba, καὶ καθ' ἕνα δεσμὸν, temere ab eodem doctiſſimo Polybii editore ſunt invecta; quum plerique libri δόμον, alii vero nonnulli δεσμὸν, quae illius eſt interpretatio, dediſſent. *s*) Quod autem paulo poſt ſequitur παραῤῥᾳγὲν, id quin mendoſum ſit, vix dubitari poteſt. Etenim non agitur ibi de *ſarciendo* eo, quod *ruptum* ſit, ſed *de novo aedificio ſolide atque firmiter exſtruendo*. At pleraque tamen ſcripta exempla, quorum magnum numerum ad hunc locum conſulere nobis licuit, in παραῤῥᾳγὲν conſentiunt. Duo vero παραγὲν habent, & in eorum altero litera ϑ ſuperſcripta eſt literae γ. Denique in alio παρατιθὲν ſcribitur; quod a vero proxime abeſt. Omnino enim παρατεθὲν legendum videtur, ut haec ſit ſententia: *Sicut in aedificiis*,

r) Demetrium Phalereum, praeter alia ſcripta, *libros duos* Στρατηγικῶν reliquiſſe docet Diogenes Laërtius V. 80. Quibus ex Libris ῥῆσιν illam retuliſſe videtur Polybius: quod notandum ad Fabricii Bibl. Gr. Tom. II. p. 768.

s) Unus Codex Auguſtanus δόμεν in contextu, & δεσμὲν in ora libri habet; ex quo clarius etiam adparet, quo pacto in alios irrepſerit δεσμόν. Nullus autem Codex utramque phraſin in contextu coniungit.

Digitized by Google

ſi ſinguli lateres rite fuerint diſpoſiti, & prout novus ordo adponitur, debita cura fuerit adhibita: ſic in exercitu, ubi & viritim, & manipulatim, ſingula bene fuerint procurata, univerſum corpus firmitatem ac robur habebit. [*]

Sed, ut ad Suidam redeamus, & ad Fragmentum ab illo prolatum: quodnam ſit aedificium, de quo agitur, cum ex aliis adiunctis, tum ex *pinnis* ſive *propugnaculis*, (ἐπάλξεων) quae ibi commemorantur, haud aegre intelligitur. Quaerebatur de *altitudine turris*; cui, puta, obſidente urbem hoſte alia turris erat opponenda; *t*) quare menſura adcurate fuit capienda. Erat autem turris illa *ex quadratis lapidibus, ad eamdem menſuram caeſis, exſtructa.* Is igitur, qui ad explorandum erat miſſus, menſurata in imo altitudine unius ordinis lapidum, deinde, inito numero ſubductaque ſumma *ſingulorum ordinum* ſive ſtratorum, *facili ratione totius* turris *ab imo ad propugnacula altitudinem colligebat.* [*]

[* Vide Polybium noſtrum, X. 22, 7. & Adnotat. Tom. VI. pag. 635 - 638.]

t) Si ἀχοδομημένον ſcriptum eſſet, in neutro genere; poſſet *murus* (τὸ τεῖχος) intelligi, ad quem ſcalae eſſent adplicandae: de quarum iuſta menſura capienda ſedulo monuerunt veteres Tactici, & ipſe etiam Polybius lib. V. cap. 97 extr. & ſq. & IX. 18. Sed ἀχοδομημένος ad nihil aliud referri poſſe videtur, niſi ad nomen ὁ πύργος, *turris*, ex praecedentibus verbis, quae a Lexicographo praetermiſſa ſunt, ſubintelligendum.

[* Vide *Spicilegium Reliquiarum ex Polybii libro Octavo*, Tom. V. noſtrae edit. pag. 32 ſq.]

Digitized by Google

IV.

NOVUS FASCICULUS EMENDATIONUM ET OBSERVATIONUM IN SUIDAM

a LUD. KÜSTERO editum.

TOMO I. p. 13. Ἀβροδιαίτη. In editione Mediolanenſi eſt Ἀβροδίαιτα: quam ſcripturam deſerere non debuerant poſteriores; mentionem ſaltem illius facere debebat Küſterus.

Pag. 20. Ἀγάθυρσα. πόλις Σικελίας, ὡς Πολύβιος. Haec ſunt e Stephano Byz. h. v. excerpta. Vide Polybii Reliquias lib. IX. cap. 27, 10. & ad eum locum notata.

Pag. 35. *lin.* 8 *extr.* *In voc.* Ἀγωγή. — ἐφ' οὗ σημαινομένου ὁ ὁριζόμενος οὕτω τὴν γένεσιν, κέχρηται τῷ τῆς ἀγωγῆς ὀνόματι. Ille ὁριζόμενος, Ariſtoteles eſt; qui τὴν γένεσιν ita definivit, ut eam diceret ἀγωγὴν εἰς οὐσίαν, Topicor. lib. VI. cap. 2. Verba autem Suidae ducta ſunt ex Alexandri Aphrod. Comment. in ſextum librum Topicorum; cuius ipſius verba adpoſuit Budaeus in Comment. Ling. Graec. p. 371. edit. Rob. Stephani.

Pag. 36. *ſub med.* Ἀγωνάρχαι. — Καὶ παροιμία· Ἀγὼν οὐ δέχεται σκήψεις. - - Ἀγὼν πρόφασιν οὐκ ἀναμένει. Adagium illud in animo habens Polybius, lib. VI. c. 24, 7. ait, τῆς πολεμικῆς χρείας οὐκ ἐπιδεχομένης πρόφασιν. Alia auctorum loca adnotavit Berglerus ad Alciph. p. 190.

Pag. 71. *lin. penult.* Ὅτι Χάρμος ὁ Συρακούσιος &c. Temere in Latina verſione *Epicharmus Syracuſius* ponitur. Conf. Suidam, Tom. III. voc. Χάρμος, & Athen. I. 4. a.

Digitized by Google

Pag. 79. *Ἄκας, ποιητὴς τραγῳδίας.* Conf. infra, voc. *Σάκας*: & vide Animadverſiones noſtras ad Athen. XIII. 610. c.

Pag. 81. *l.* 12. *Ἀκεραίοις τε καὶ οὐ προσδεχομένοις ἐπιγινόμενοι, τῆς γῆς ἐκράτουν.* Utique *Ἀκέραιοί τε* videtur legendum. *Quum recentes viribus adgreſſi eſſent hoſtes nec opinantes, nec impetum ipſorum ſuſtinentes, regione potiti ſunt.*

Pag. 86. *l.* 2. *In voc.* Ἀκμαῖος. — *ἀκμαιότατος καιρὸς, ὁ πρωϊνός.* Videtur reſpicere Polybii locum, III. 102. 1. At ibi *ὁ ἀκμαιότατος καιρὸς τῆς ἡμέρας*, ſi quid video, non eſt *matutinum tempus*, ſed *meridianum;* quo ſcilicet maxime hinc inde per agros diſperſi erant pabulatores. Atque ita etiam diſerte Gregorius Nazianzanus (referente Henr. Stephano, Theſ. Tom. I. col. 275. b.) ait: *μεσημβρία, τὸ τοῦ φωτὸς ἀκμαιότατον.*

Pag. 104. *l.* 9. *In voc.* Ἀλεξανδρος ὁ Φιλίππου, *ſub fin.* *ὄμβρου καταῤῥαγέντος.* Scribe *ὄμβρου πολλοῦ καταῤῥαγέντος* cum *Codice msto Pariſino*, eodem quem Lud. Küſterus Pariſiis olim contulerat, quem ille in Notis ſuis lit. *A.* inſignivit. Quo ex Codice paucas quasdam lectiones, ſpeciminis loco, nobiscum communicavit Godofr. Schweighaeuſer.

Ibid. l. 10. *ὑπὸ Κασάνδρου τοῦ ἰδίου φάρμακον δεξάμενος.* Scribe, *ὑπὸ Κασ. τοῦ ἰδίου στρατηγοῦ φαρμ. δεξ.* cum eodem optimo Cod. msto, immo vero etiam cum edit. Aldina & Frob.

Pag. 119. *l.* 13 *extr. In voc.* Ἀλογία. — *ἐξ αὐτῆς, οἱονεὶ παρελελύθεισαν.* Laudare debebat Küſterus doctam certiſſimamque emendationem, ab Iſaaco Caſaubono (in ſua editione Polybii, pag. 1017 *extr.*) huic loco tacite adlatam, *ἐξαυτῆς οἱονεὶ παρελύθησαν*: id eſt, *ſtatim velut attoniti, ſolutis corporis & animi viribus ſilentio defixi ſtabant.* Vide Lexicon noſtrum Polybianum, pag. 438. num. 3. Qua adlata emendatione, ſana & integra eſt quae ſequitur oratio: neque ad iſta verba, *οὐκ ἔτι συνέβαινε γίγνε-*

Digitized by Google

σθαι τὴν ἀλογίαν, quidquam amplius desideratur. Nempe ἀλογία hîc non, ut imperite Suidas interpretatur, ἀταξίαν valet, sed ἀφωνίαν, *silentium, ex stupore illo* (qui verbo παρελύθησαν indicabatur) *natum.* Totum locum vide in Polybio nostro, lib. XXXVI. cap. 5. vs. 3-5. & confer Appiani Historiam Punicam, cap. 91 *extr.* nostrae editionis: nec fere ullus superierit dubitandi locus. Solummodo in fine eclogae, ad ista οἱ δὲ πρὸς τὰς πύλας τῆς πόλεως desideratur verbum ἔδραμον, *currebant*, aut aliud quoddam eamdem in sententiam.

Pag. 131. Ἅμα νέφε᾽ ὄρθρου. Distinctione interpositâ separandum a superioribus erat vocabulum ὄρθρου, quod est istorum interpretamentum. Sed vitiosa haud dubie scriptura est Ἅμα νέφε᾽. Ἅμα νέφεος corrigebat Vossius, ad Hesych. v. Κνέφας: quod invito viro docto excidit: non enim cum genitivo casu construitur vocula ἅμα. Aut Ἅμα νέφει oportebat: (coll. Suid. in Κνέφει) aut Ἅμα νέφᾳ, quod est apud Xenoph. Cyropaed. IV. 2. 15. ubi νέφας cave cum Zeunio βαθείαν ἑσπέραν intelligas, sed *primo diluculo:* quod ex proxime praecedentibus fit manifestum; ait enim, *postquam nox ingruit, - - quum expediti & celeriter iter facerent, consequens erat ut multum viae emetirentur; itaque, ἅμα νέφᾳ, primo diluculo, ante lucem, ad Hyrcanorum castra pervenerunt.*

Pag. 140. *l.* 12. Ἀμίλκας, ὁ καὶ Φαβέας, Καρχηδονίων στρατηγὸς &c. Sic rursus infra sub lit. Φ. Tom. III. pag. 572. Φαβέας, ὁ καὶ Ἀμίλκας, Καρχηδονίων στρατηγός. ζήτει περὶ τούτου ἐν τῷ Ἀμίλκας. Idemque *Amilcar Phabeas*, Suidam si audias, aut certe vulgatam si sequaris apud Suidam scripturam, *Hannibalis* illius pater fuit, qui bello cum Romanis gesto nobilitatus est. Sic enim paulo post legitur, τούτου τοῦ Ἀμίλκου παῖδα γεγενῆσθαί φασιν Ἀννίβαν &c. At dubitari vix potest, multis modis corrupta haec esse. Et quidem, primo, quod ait Ἀμίλκας ὁ καὶ Φαβέας, utrumque nomen vitiosum est, & totus articulus non huius erat loci. Nec enim Φαβέας scriptum oportuit,

Digitized by Google

quamquam eodem modo apud Zonaram etiam vulgo ſcribitur, IX. 27. cuius verba in Notis ad Appiani Punic. cap. 97. adpoſuimus: ſed aut Φαμέας oportebat, ut eſt apud eumdem Suidam, hac ipſa voce; cuius eclogam iſtam, ex Polybio (ut videtur) decerptam, exhibuimus in Reliquiis libri XXXVI. Polybiani, cap. 6. quem ad locum confer quae a nobis adnotata ſunt in Polybii noſtri Tom. VIII. Part. I. p. 138 ſq. aut Φαμαίας, ut conſtanter apud Appianum, Punic. cap. 97. & 100. Nec vero *Amilcar* nomen illi Phameae vel Phamaeae fuit, ſed *Himilcon:* quod cum ex Appiano, tum ex Zonara conſtat. Nam de eodem homine hîc agi vix dubitabis, ſi Suidae verba, de quibus quaerimus, cum iſtis Appiani (Pun. cap. 100.) conferuleris, καὶ Φαμαίας, ὁ ἵππαρχος ὁ τῶν Λιβύων, νέος τε ὢν ἔτι καὶ θρασύτερος ἐς μάχας, καὶ ἵπποις χρώμενος μικροῖς καὶ ταχέσι, &c. Igitur ea quae h. l. apud Suidam leguntur, quae deſinunt in verbis ἱππεὺς ἀγαθὸς καὶ τολμηρὸς, infra ſub litera *Iota* hoc modo poni debuerant, Ἰμίλκων ὁ καὶ Φαμέας, Καρχηδονίων στρατηγὸς, &c. Et habent haec colorem ita prorſus Polybianum, ut recte haud dubie facturus fuiſſem, ſi eamdem eclogam, eo quo dixi modo correctam, in Reliquiis ex triceſimo ſexto libro Polybiano, initio capitis ſexti, proxime ante iſtam, τὰς προφυλακὰς βλέπων ὁ Φαμέας &c. poſuiſſem. Deinde vero illa, quae eodem hoc loco apud Suidam ſubiiciuntur, τούτου τοῦ Ἀμίλκου παῖδα &c. capite truncata eſſe adparet: quippe praeponendus erat titulus huiusmodi, Ἀμίλκας ὁ Βάρκας, aut Ἀμ. ὁ Βάρκας ἐπικαλούμενος.

Pag. 162. *med.* Ἀναδέξασθαι. — — Πολύβιος· Πάνυ γὰρ βουληθῆναι τὸν Φίλιππον ἀναδέξασθαι &c. Corrige Πᾶν γὰρ ex edit. Mediolan. De tota autem ecloga vide Polybium noſtrum, XIII. 5, 3. & ad eum locum notata, Tom. VII. pag. 147 ſq.

Pag. 163. *med. in voc.* Ἀναδρομή. — οὕτω παρ' ὀλίγον σφάλλεται τὰ μέγιστα τῶν πραγμάτων ἀγομένων ἀκρισίᾳ. Corrige ἠγουμένων (vel potius τῶν ἡγουμένων)

ἀκρισίᾳ. Vide Polybium noſtrum, Tom. V. pag. 78 ſeq. num. XIV.

Pag. 168. *l.* 3. Ἀναλαμβάνειν. ἐπὶ τοῦ ἀνέχειν. Poſt ἀναλαμβάνειν, cum ſuperioribus omnibus editionibus, inſere vocem αἰτιατικῇ, temere a Küſtero omiſſam. Pro ἀνέχειν autem, ἀμπέχειν lege cum Henr. Stephano, Theſ. II. 560. a.

Pag. 170. *l.* 4 *extr.* Φιλύλλιος Αἰγεῖ. Corrige Αὔγῃ. Vide Animadv. ad Athenaeum, III. 110. f.

Pag. 172. Ἀνανεωσάμενος. &c. Conf. Suid. in Προσαναγεωσαμ. & vide *Spicilegium* noſtrum *Reliquiarum ex Polybii libro octavo*, Tom. V. pag. 33 ſq. num. II.

Pag. 180. *l.* 17. *in voc.* Ἀνασείειν. — ὁ δὲ τοὺς Συρακουσίους ἐρεθίζων. Reſcribe cum Valeſio ἀνασείων. Vide Polybium noſtrum, Tom. V. pag. 73. num. LXVI. & ibi not.

Pag. 187. *l.* 17. *in voc.* Ἄνδρα τὸν φύσει. — καὶ τὸ εἰς τὰς μάχας προσπεσὸν &c. Immo προπεσόν.

Pag. 196. *l.* 5 *extr. in voc.* Ἀνεννόητον. — Πολύβιος· Πάντων δὲ ἦσαν τούτων οἱ στρατηγοὶ ἀνεννόητοι. Uberius habes Fragm. infra, in Στρατηγία, quod nos poſuimus in Reliquiis libri XI. noſtri Polybii, cap. 8, 1 - 3.

Pag. 215. *l.* 4 *ſq. in voc.* Ἄνθρωπος. — τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ προσδεδοξοποιημένον. Vide Polyb. lib. XVII. cap. 15. ſegm. 15 ſq. & Adnotationes noſtras, Tom. VII. pag. 332. cum quibus conferenda ſunt quae ad Epicteti Diſſert. lib. I. cap. 28. vs. 27. monuimus.

Pag. 239. *l.* 18. *in voc.* Ἀξιωμένου. — Οἱ δὲ γεραιοὶ ἀξιοῦσι &c. Perſpecte Οἱ δὲ Γεράϊοι correxit Caſaubonus. Vide Polyb. lib. XIII. cap. 9.

Pag. 250. *in voc.* Ἄπαιρε. — καὶ Ἀπαίρειν, ἀντὶ τοῦ παραγενέσθαι. Vide quae ad Polyb. IX. 6, 2. notavimus.

Pag. 257. Ἀπέστησεν. - - Πολύβιος· Ἐκεῖνον γὰρ οὔτε σκότος &c. Vide Polybium noſtrum, Tom. V. p. 80. num. XXII. & XXIII.

Pag. 289. Ἀποπεπιστευκότες. - - Ἤδη πάντα ἀναπεπτω-

κασι &c. In adlato teſtimonio, de quo interpretando deſperaverat Küſterus, corrige *ἀναπεπτάκασι, aperuerunt:* & omnia plana erunt. Vide notata ad Polyb. III. 71, 2.

Pag. 309. *l.* 10. *in voc.* Ἄρατος στρατηγὸς, *in ipſo fine.* κοινῇ δὲ καὶ κατὰ πολεμικῆς ἐνίων συντάξεως ἄπρακτοι. Recte μετὰ πολεμ. editiones omnes ante Küſterum, quemadmodum apud Polybium legitur, IV. 8, 9.

Pag. 326. *ſub fin.* Ἀριστόνικος Ἀλεξανδρεὺς, γραμματικός. *&c.* De eodem conf. Tom. III. pag. 224. lin. 22 ſeq. unde diſcimus, fuiſſe hunc Ptolemaei Grammatici filium, & Romae docuiſſe. Neſcio vero an idem ſit *Ariſtonicus*, qui in Athenaei Epit. lib. I. p. 20. d. nominatur.

Pag. 328. *poſt med. in voc.* Ἀριστοφάνης. — ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνους δράματα, ταῦτα· Ἀχαρνεῖς, Βάτραχοι, Εἰρήνη, *&c.* Verte: *quae autem tractavimus Ariſtophanis dramata, haec ſunt:* &c. Iſta notio, ex uſu ſequioris Graecitatis, ſubiecta erat verbo πεπράχαμεν, quod verbum ſuſpectum habuerat Küſterus, nec quid ſignificare hoc loco poſſet exputare valuerat. Vide Epicteti loca, in Indice noſtro Graecitatis Epicteteae indicata. Ac potiſſimum quidem uſurpatur id verbum de libellis, qui in ſcholis tractantur: quod ipſum perapte convenit ei loco, quem Suidas ex neſcio quo auctore excerpſit.

Pag. 402. Ἀχέων. μετοχὴ *&c.* Σοφοκλῆς· Κρυπτᾷ τ' ἀχέων ἐν ἥβᾳ *&c.* Eſt ex Sophoclis Electra, vs. 159. edit. Brunck. & ex Scholiis vetuſtis ad eumdem locum.

Pag. 423. *l.* 1. Καὶ βάσταγμα δῆλον ἐγένετο. † Διότι μέγα τὸ βάσταγμα *&c.* Oratio ſic distinguenda: καὶ βάσταγμα. Δῆλον ἐγένετο διότι μέγα τὸ βάσταγμα *&c.* Vide Reliquias ex Polybii lib. XXXVI. 4, 7. & Adnotationes noſtras, Tom. VIII. Part. I. pag. 138.

Pag. 450. Βῶλις. ὄνομα κύριον. Πολύβιος· Ὁ δὲ Ἀχαιὸς προσδεξάμενος – – τὸν Βῶλιν *&c.* Ad iſta verba, haec adnotavit Küsterus: »Scribendum eſt τὸν Βῶλον, ut legitur »infra, v. Ἐκτενῶς, ubi fragmentum hoc repetitur.« — Immo recte habebat τὸν Βῶλιν: & errorem ſuum tacite

Digitized by Google

ipſe correxit Vir doctus loco inferiore, ubi pro Βῶλον, quod erat in ſuperioribus editionibus, Βῶλιν ſcripſit, monens eſſe fragm. ductum ex Polybii libro VIII. cap. 16. Vide Reliquias libri Octavi Polybii cap. 21. ſegm. 1. ex noſtra edit. & omnino totam iſtam narrationem, quae eodem libro cap. 17. & ſeqq. exponitur.

Pag. 464. Γαλααδῖτις. χῶρα. Haud dubie Γαλααδῖτις ſcriptum oportebat.

Pag. 516. *l.* 8. *in voc.* Δαῖτας. — Καὶ οἵους Ἡσίοδος παρεισάγει &c. Verba ſic distinguenda erant. Καί· Οἵους Ἡσίοδος &c. Polybii verba ſunt lib. V. cap. 2, 6.

Pag. 518. *l.* 5. Δεδοξοπεποιημένον. — τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος &c. Vide quae ſupra ad pag. 215. lin. 4 ſq. notavimus.

Ead. pag. ſub fin. Δεκαρχίαι &c. Ut apud Harpocrat. ſcribitur, ſic & Suidam Δεκαδαρχίαι (non Δεκαρχίαι) ſcripſiſſe, ex ipſa literarum ſerie intelligitur. Sic igitur etiam mox deinde δεκαδαρχίας corrigendum. Denique pro δεκάρχην, quod ſequitur, aut δεκαδαρχίας legendum, ut apud Harpocrat. aut (quod equidem malim) δεκαδαρχίαν.

Pag. 557. Διαλαβών. – – Ὁ δὲ διαλαβὼν τὰς ὁδοὺς φυλακαῖς. Eſt ex Polyb. IV. 67, 8. de quo iam Gronovius monuerat.

Pag. 568. Διατατικώτερον. Vide Polybii Fragmenta, Tom. V. noſtrae editionis Polybii, p. 83 ſq. num. 83.

Pag. 571 *med. in voc.* Διάφοροι. Ἐστρέβλωσαν δὲ πολλοὺς &c. Eſt ex Polyb. IV. 18, 8. ubi vide, & confer noſtras Adnotat. T. VI. pag. 28 ſq.

Pag. 585. *l.* 5 *extr. in voce* Δικαιοπραγεῖν. — Καὶ μηδὲν δικαιοπραγεῖν &c. Vide Polybium noſtrum, VIII. 28, 9. & ad eum locum notata.

Pag. 606. *in voc.* Διφαλαγγία. — καὶ διφαλαγγίαι, αἱ δύο φαλαγγαρχίαι. Corrige, καὶ Διφαλαγγαρχίαι, αἱ δύο &c. Vide Aeliani Tactici cap. 8. & Arriani Tact. pag. 31.

Pag. 637. *l.* 20. *in voc.* Δυσωπεῖσθαι. — καὶ οὐδὲν ἐπὶ τῶν ὄψων οὐχ ὑφορώμενον. Haud dubie οὐδὲν ἔτι τῶν ὄψων

corrigendum. Iſta confuſione vocalarum ἐπὶ & ἔτι nihil frequentius.

Pag. 638. *l.* 6. *in voc.* Δυσποτμότερον. — ἐν ταῖς πολυχρονίαις ἀῤῥωστίαις. πολυχρονίοις ſcriptum oportebat. Vide Lexicon noſtrum Polybianum hac voce.

Pag. 651. Αἰμιλία. — διὰ τοῦ πρὸ τοῦ χρόνου ἀνακεχωρηκυίας αὐτῆς. Recte διὰ τὸν πρὸ τοῦ χρόνον ed. Mediol. ut in Excerpt. Valeſ. ex Polyb. XXXII. 12, 7. Operarum errore in ed. Ald. τὸν πρὸ τοῦ χρόνου legebatur, quod Baſileenſis editor imperite in τοῦ πρὸ τοῦ χρόνου mutavit; unde ea ſcriptura dein in editionem Porti & in Küſterianam propagata eſt.

Pag. 668. Ἐγκάθετος. δόλιος. κατάσκοπος. Exemplum huius ſignificatus habes T. III. in voce Πρυτάνεις.

Pag. 670. Ἔγκειται. ἐπίκειται. — τῶν Δαρεικῶν κατ' ὀλίγον τοὺς ἐγκειμένους [τοῖς ἐγκειμένοις corrige] μεθείς. *Aureos nonnullos ſubinde humi ſpargens eis qui ipſum inſequebantur.*

Pag. 675. Ἔγγυον. — καὶ Ἔγγυος, ὁ ἐγγυητής. Conf. Heſych. h. v. & Polyb. V. 27, 1.

Pag. 679. Ἐδικαίου. — Ἀππιανός· Σύφαξ δὲ &c. Vide Appiani Punica, cap. 17.

Pag. 731. Ἔμφασις. ἔνδειξις. Πολύβιος, &c. Vide Polyb. XII. 13, 2. cum noſtris Adnot. & Lexicon Polyb. voc. Τέγος.

Pag. 743. Ἐνεργόν. — Πολύβιος· Οἱ δὲ ἐξαναστάντες &c. Vide Polyb. VIII. 16, 7. noſtrae edit. (olim cap. 11.)

Pag. 764. Ἐξεκέκλητο. — Ταχὺ δὲ ἐξεκέκλητο &c. Eſt ex Polyb. IV. 57, 4.

Pag. 767. Ἐξερῶ. ἐξώσω. Conf. Interpp. Heſychii ad hoc verbum.

Pag. 774. Ἐξοδία. ἡ ἔξοδος. Πολύβιος· Τὸ μὲν οὖν πρῶτον &c. Vide Polybium noſtrum, VIII. 26, 1. (olim c. 19.)

Pag. 775. Ἐξ ὁμολόγου. — Διὰ τὰς ἐξ ὁμολόγου καὶ συστάδην μάχας &c. In Polybianis Fragmentis retulimus, num. 54. T. V. noſtri Polybii, p. 86. Certe eodem pror-

Digitized by Google

ſus modo τὰς ἐξ ὁμολόγου καὶ συστάδην μάχας dixit idem Scriptor, XI. 32, 7.

Pag. 783. Ἐπαγωγή. πειρασμός. ἢ ζυμία, αἰχμαλωσία. Vide Varietatem lectionis & Adnotationes noſtras ad Polyb. V. 27, 5.

Pag. 803. Ἐπιβολή. ἢ εἰσφορά. Ὁ δὲ Σκιπίων - - - ἐπιχειρουμένας ἐπιβουλάς. Eodem modo ἐπιβουλὰς ſcribitur ſupra, in voce Βορίανθος, recte: ac ſatis quidem adparet, ad vocem Ἐπιβουλὴ, non Ἐπιβολὴ, ſpectare hoc fragmentum. Vide ſuperiores noſtras *Emendationes & Obſerval. in Suidam, num. IV. notâ b.*

Pag. 822. Ἐπίνειον. — Πολύβιος· Οἱ Ῥωμαῖοι &c. Vide Polybii Fragm. 67. Tom. V. noſtrae edit. pag. 73. ibique notata.

Pag. 830. Ἐπίστασις. — Πολύβιος· Ὁ δὲ Ἀσδρούβας πέφυκεν ὑμῖν ἄξιος ἐπιστάσεως εἶναι καὶ ζήλου. Ex Polyb. XI. 2, 4. ubi quidem πέφηνεν legitur, rectius quam πέφυκεν.

Pag. 905. *in voce* Εὑρεσιλόγος. Πολύβιος· - - μὴ δόξω τισὶν ὑμῶν οὐκ ἀναγκαίων εὑρεσιλογεῖν. Monuerat *Aemil. Portus*, ἀναγκαίως legendum videri. Küsterus vero: »Puto, ait, addita praepoſitione περὶ legendum eſſe, περὶ »οὐκ ἀναγκαίων.« — Error ex Aldina Suidae editione propagatus erat. Principem Mediolanenſem ſi diligentius inſpexiſſet Küſterus, οὐκ ἀναγκαίως ibi ſcriptum reperturus erat: nam ſcripturae compendium, quod in vocabuli fine editio illa habet, nihil aliud niſi terminationem ὡς ſignificat. Quod deinde, (*Eadem pag.* 905.) poſt Εὑρήσεται, ponitur vocabulum Εὑρεσιλογίας, absque interpretamento, nulloque teſtimonio adiecto; id vocabulum ſuperioribus iſtis, οὐκ ἀναγκαίως εὑρεσιλογεῖν, proxime ſubiici debuerat; quo intelligeretur, eumdem Polybium iſto ſubſtantivo nomine eâdem notione uſum eſſe atque verbo εὑρεσιλογεῖν. Ducta eſt vocabuli illius adnotatio ex nono Excerpto De Legationibus: ubi quidem εὑρησιλογίας ediderat Urſinus, nos autem ex vetere codice Bavarico veram ſcripturam εὑρεσιλογίας reſtituimus, Polyb.

Digitized by Google

XVIII. 29, 3. quem ad locum vide Adnot. noſtras T. VII. pag. 385. & conf. Weſſeling. ad Diodor. Sicul. lib. I. cap. 37 ſub fin. quem in Lexico noſtro Polybiano (ad voc. εὑρεσιλογία) laudavimus.

Pag. 916. Εὐφυᾶ. — Πολύβιος· Ὁ δὲ ἦν ὑπηρετικὸν σκεῦος &c. Vide Excerpta Valeſiana ex Polybio, pag. 61. In noſtra Polybii editione, XIII. 5, 7.

Pag. 918. Ἐφεδρεία. — Παρὰ Ῥωμαίοις θάνατος &c. Vide Polyb. I. 17, 11. & conf. Suidam in Πρόστιμον.

Pag. 926. Ἐφ' ᾧ. — Πολύβιος· Ὁ δὲ Μάρκος &c. Vide Reliquias ex Polybii lib. IX. cap. 27, 11. ubi pro πορθεῖν τε Βρεττιανήν, quod habent omnes Suidae editiones, πορθεῖν τὴν Βρεττ. correximus cum Urſino in Polybii Fragmentis, poſt Excerpta DE Legationib. pag. 256. Et pro ὡς ἂν ἐκ τῆς πολ. poſuimus ὧν ἂν, quod idem Urſinus ex neſcio quo *vetere codice* commendaverat.

TOMO II. EDITIONIS KÜSTERI.

Pag. 6. *in voce* Σπλοτυπία. Καὶ Πολύβιος λέγει· Τοῖς γὰρ πλείστοις ὑπερεγεγόνει τις ζῆλος &c. Corrige ὑπεγεγόνει ex ſuperiore loco, voc. Ἀλαζονεία. Poſuimus hoc fragm. in Reliquiis ex Polybii lib. XI. cap. 8, 4.

Pag. 11. Ζιβύτης, ὄνομα κύριον. Solennis permutatio vocalium υ & οι. Ζιβοίτης ſcribe. Vide Adnot. ad Polyb. IV. 50, 1.

Pag. 54. Ἡλίκον. — Ὅτι Φάβιος ἐνετέλλετο &c. Eſt ex Polyb. III. 94, 9. Quod autem, ut alia multa, ſic & hoc fragmentum a vocula Ὅτι inchoavit Lexicographus, id indicio eſt, non ex ipſo Polybio haec talia ab illo deſcripta fuiſſe, ſed ex Conſtantini Porphyrogenneti Excerptis.

Pag. 94. Ἴδισμα. λόγισμα. Ad haec KÜSTERUS adnotavit: »A verbo εἴδω, τὸ γινώσκω: unde aor. 2. ἴδον. « — Immo vero corrigendum; Ἰγδισμα. λόγισμα. de quo iam H. Stephanus in Indice Theſ. monuerat. Conf. Iungerm. ad Polluc. IV. 101.

Pag. 140. Ἱππαφέσεων. — Πολύβιος· Παραπλήσιόν τι &c.

Digitized by Google

Et haesitationem nostram professi sumus, & coniecturam proposuimus, in Polybii Fragmentis, Tom. V. pag. 90. num. 76.

Pag. 150. Ἰσηγορεῖ, ἐπίσης λέγει.

Ἰσολογεῖ. Πολύβιος· Οὔσης δημοκρατίας &c.

Satis adparet, tali quodam modo edi ista ac suppleri debuisse. Ἰσηγορεῖ. ἐπίσης λέγει, ἰσολογεῖ. [καὶ Ἰσηγορία.] Πολύβιος· Οὔσης δημοκρ. Polybii fragmentum posuimus in Reliquiis libri IX. cap. 10.

Pag. 219. Καθαρσιώτερα. λαμπρώτερα. Καθαρσιῶτερα ταῦθ' ὑπάρχει καὶ πολυτελέστερα. Desunt quinque postrema verba editioni Mediolanensi; sed exhibet ea Aldina Suidae editio. Sunt autem ex Polybio ducta. Vide Polyb. XI. 9, 5. ibique pro καθαριώτερα, quod ex Casauboni editione tenuimus, corrige καθαρειότερα. Conf. Adnot. nostras ad eumdem locum, & ad Athen. II. 65. d. & VIII. 359. a.

Pag. 221. Καθεστῶτα. — Ἤρξαντο τὰ καθεστῶτα κινεῖν. Polybii verba sunt, II. 21, 13.

Pag. 224. Καθικόμενοι. καθιστάμενοι. Πολύβιος· Πάντες μὲν γὰρ οἱ βασιλεῖς &c. Unde interpretationem καθιστάμενοι arripuerit Küsterus, exputare non potui. Nihil quidem ille ad hunc locum adnotavit: superiores autem Suidae editiones omnes καθαφάμενοι dabant: recte: quod commode Aemil. Portus his verbis interpretatus est: *Qui pervenerunt eo quo volebant: qui scopum attigerunt: qui facti sunt votorum compotes.* Parique modo paulo ante apud eumdem Suidam legitur: Καθίκετο. καθήφατο. Cui gemina Hesychius habet. De Fragmento Polybiano vide Polybium nostrum, Tom. V. pag. 91. num. 81.

Pag. 225. Καθυφεῖντο. — Πολλοὶ δὲ καθυφεῖντο ἑαυτοὺς &c. In edit. Mediol. Ald. & Bas. legitur Πολλοὶ δὲ καὶ καθυφεῖντο &c. prorsus ut apud Polyb. III. 60, 4. Particula καὶ primum in Porti editione temere omissa erat: inde etiam in Küsteriana desideratur.

Pag. 238. Καυθήλιος. — καὶ Πολύβιος· Ἐν γὰρ τοῖς ἐπιδεδεμένοις &c. Vide *Spicilegium Reliquiarum* ex Polybii li-

bro VIII. Tomo V. noſtrae edit. pag. 35. num. 111. & ibid. not. *i*. Pro Ἐν γὰρ τοῖς nondum nos poenitet Σὺν γὰρ τοῖς ibi correxiſſe.

Pag. 274. Κατεξαναστάντες τοῦ μέλλοντος &c. Vide Polybii Fragmenta, p. 69. num. 53. ibique notata.

Pag. 303. Κέστρος. ξένον ἦν τοῦτο τὸ εὕρημα &c. Vide Reliquias ex Polybii libro XXVII. cap. 9. cum noſtris ad illum locum adnotatis. Ibi pro σπιθαμαίαν, σπιθαμαῖον ſcripſimus: & pro κάλων, quod vocab. ter ſic apud Suidam vulgo legitur, ubique κώλων poſuimus, praeeunte Lipſio.

Pag. 315. Κινδυνεύει &c. Pro eo quod ſic vulgo ſcribitur, οὔσης τῆς ἐπιχειρήσεως, οὐκ ἀξιοῦντες ἐν ἀνδρὸς εὐγενοῦς ψυχῇ κινδυνεύειν τὸ κοινόν. poſt ἐπιχειρήσεως maiori diſtinctione interpoſitâ, ab iſtis verbis, Οὐκ ἀξιοῦντες, novi fragmenti initium indicandum erat.

Pag. 347. Κόορτις. — Ἄθρους ἄγων ἐκ τῆς παρεμβολῆς ἐπὶ τέτταρας κοόρτις. Polybii verba ſunt, ex lib. XI. cap. 33, 1.

Pag. 361. Κωθωνίσαι. — κωθωνιζόμενος ἐφ' ἡμέρας. Recte ἀφ' ἡμέρας habent ſuperiores editiones, quemadmodum etiam apud eumdem Suidam in Δεινοκράτης, & in Excerpto Valeſiano ex Polyb. XXIV. 5, 9.

Pag. 433. Λεύκιος, Δημαράτου τοῦ Κορινθίου υἱός. — — εἰς τοῦτο ἦλθε παραδοχῆς, ὥστε συνδιοικεῖν καὶ συγχειρίζειν τῷ Μαρκίῳ τὰ κατὰ τὴν βασιλείαν. De verbo συγχειρίζειν commode monuit Küſterus, ſicut in Excerpto Valeſiano, (ex Polyb. VI. cap. 2, 14. noſtrae edit.) ſic idem verbum in duobus etiam codicibus msstis Suidae a ſe eſſe repertum. De συνδιοικεῖν vero nihil monuit: atqui hoc nec Peireſcianus codex, nec ſuperiores Suidae editiones, nec mssti codices Suidae agnoſcunt; ſed ab Aemil. Porto ex coniectura commendatum, ſuo arbitratu tacite in contextum recepit Küſterus. At nulla neceſſitas urgebat, ut a librorum ſcriptura diſcederetur, quae ſatis perſpicue ſic accipienda, quaſi dixiſſet auctor, ὥστε συνοικεῖν τῷ Μαρκίῳ, καὶ συγχειρίζειν αὐτῷ τὰ κατὰ τὴν βασιλείαν:

Digitized by Google

id est, *ut cum Marcio unà habitaret, & regni negotia cum eodem administraret.*

Pag. 464. Λοιμεύεται. - - - δυσκρασία ἀέρος καὶ τροπὴ, λοιμικὴ κατάστασις λέγεται. Vide Polyb. I. 19, 1.

Pag. 506. Μασανάσσης. - - - ἐγένετο καὶ δυναμικώτατος. Scribe ἐγένετο δὲ καὶ δυναμ. cum superioribus Suidae editionibus & Excerptis Valesianis.

Pag. 509. Μάτρις. ὄνομα κύριον. Vide Athen. lib. II. pag. 44. c. d.

Ead. pag. Μάτρωνος. ὄνομα κύριον. Μάτρων scriptum oportuit; ut intelligeretur *Matron* ille *Parodus*. cuius frequens apud Athenaeum mentio. Sed fortasse sic scripserat Lexicographus: Μάτρων, Μάτρωνος, ut vox posterior genitivum casum nominis indicaret.

Pag. 515. Μεγαλορρήμονος. καὶ μεγαλορρημοσύνη. Exemplum posterioris vocabuli habes infra, in voc. Σεμνομυθοῦσιν.

Pag. 670. Οἰνωθήσεσθε μὲν, οὐ μέθυσεσθε δέ. Corrige: Οἰνωθήσεσθαι μὲν, οὐ μεθυσθήσεσθαι δέ. Vide supra, in Ἀπράγμων, & Laërtium VII. 118. a Küstero ibi laudatum.

Pag. 679. Ὅλος καὶ πᾶς. Ἦν δὲ ὅλος καὶ πᾶς πρὸς τὸ πολεμεῖν. καὶ, Πρὸς τὸ παραβάλλεσθαι καὶ διακινδυνεύειν ὅλος καὶ πᾶς ἦν. Non καὶ Πρὸς τὸ παραβαλλ. sed ἢ πρὸς τὸ παραβ. habent superiores editiones: a quibus cur discesserit Küsterus, nullam caussam video, quum praesertim nullius codicis msti auctoritatem invocaverit. Prius exemplum, cuius eadem cum altero sententia est, suo nomine adposuisse Lexicographus videtur, vulgari verbo πολεμεῖν utens; alterum exemplum, quod a priori non differt nisi exquisitioribus verbis παραβάλλεσθαι & διακινδυνεύειν, ductum est ex Polyb. III. 94, 10. Perperam autem apud Suidam h. l. πρὸς τὸ πολ. & πρὸς τὸ παραβ. Pro quo, non modo apud Polybium, sed & apud eumdem Suidam in voce Παραβάλλ. recte πρὸς τῷ παραβάλλεσθαι scribitur. Pari igitur ratione etiam πρὸς τῷ πολεμεῖν scriptum oportebat.

Digitized by Google

Tomo III. Suidae ex Editione Küsteri.

Pag. 9. Παλιλογία. ταυτολογία. Sic & Hesychius: apud quem quidem rectius Παλιλλογία scribitur, literâ λ in medio geminatâ.

Pag. 31. Παρακατεῖχον. – – – παρακατεῖχον ὡς συνάξοντες τὸν δῆμον. In versione, *tempus terebant, ut populum convocaturi.* Rectius, *retinuerunt, detinuerunt eos.* Conf. Lexicon Polyb. in Παρακατέχειν.

Pag. 49. Παρεῖτο. – – καὶ παρεῖτο, διελύετο. Conf. quae ad Polyb. XVI. 8, 6. notavimus.

Pag. 53. Πάρμη. Τῇ δυνάμει τῆς πάρμης καὶ τῶν Λιβυστικῶν βυρσῶν ἀντεῖχον ἐῤῥωμένως οἱ Ῥωμαῖοι. Vide Reliquias ex Polybii lib. XXIX. cap. 6, 1. ubi probavimus Lipsii emendationem, Λιγυστικῶν.

Pag. 55. Παρῶναι. εἶδη πλοίων. Ὁ δὲ ἔπλει παρόπλους ποιησάμενος τοὺς Σιδητῶν παρῶνας. Vide Polybii Fragm. Tom. V. pag. 72 sq. num. 95. ubi παράπλους correximus, haud dubiâ (ut nobis videbatur) coniecturâ.

Pag. 96. Περίστασις. – – – πολύ τε διαφέρειν δοκῶν τῶν ἄλλων. Corrige πολύ τι, quemadmodum non modo apud Polybium scribitur, III. 98, 2. sed & apud ipsum Suidam in edd. Mediol. Ald. & Basil.

Pag. 154. Πόπλιος Σκιπίων, Λευκίου κατὰ φύσιν υἱὸς, &c. Λευκίου corrige: sic Latinum nomen *Lucius* efferre consueverunt Graeci, & in his Polybius, e quo ista ducta sunt: sic vero etiam scribitur in Suidae editione Mediol. & Aldina; quae scriptura primum in edit. Basil. temere mutata est.

Pag. 161. Ποτάμων Ἀλεξανδρεὺς, φιλόσοφος, γεγονὼς πρὸ Αὐγούστου, καὶ μετ' αὐτόν. Difficultas, quam istis verbis inesse haud immerito monuerunt viri docti, (vide Bruckeri Histor. Crit. Philos. Tom. II. pag. 194.) facillimo negotio ita levari posse videtur, si pro μετ' αὐτὸν legendum μετ' αὐτοῦ statuas, ut hoc dixerit Suidas, *vixisse Potamonem ante Augustum & cum eo:* id est, *floruisse quidem iam*

Digitized by Google

ante Auguſti aetatem, verum etiam per ſat longum adhuc tempus ſub Auguſti imperio.

Pag. 176. Πρόβατα. πάντα τὰ τετράποδα. His ſubiici debebant iſta, quae nunc praepoſita ſunt: καὶ παροιμία· Προβάτων οὐδὲν ὄφελος, &c.

Pag. 200. Προσκαθῆσθαι. – – πάντας εἰς ἔκπληξιν ἤγαγε τοὺς φοινικούς. *hoc omnes caedis avidos terrore affecit.* Immo vero τοὺς Φοινικούς: *Poenos omnes.*

Pag. 213. Προυσίας βασιλεύς. – – ἐπιστήσας τὴν δύναμιν ἐπὶ τὴν Νικηφόριον. Sic perperam editio Küſteri. ἐπὶ τὸν Νικηφόριον, edit. Ald. & Baſil. non melius, ſed tamen paulo propius vero. Recte ἐπὶ τὸ Νικηφόριον edit. Mediol.

Pag. 221. Πτερίνης. – – ποτὲ δὲ κάλαμοι, καὶ πτέρις. Neſcio caſu-ne, an conſulto, hoc ſic a Küſtero ſit poſitum. Superiores certe Suidae editiones omnes καὶ πτέρεις dabant, quemadmodum in optimis quibusque codicibus Polybianis ſcribitur. Vide Polyb. III. 71, 4. & ad eum locum notata.

Pag. 247. Πυρφόρος, ᾧ ἐχρήσατο Πεισίστρατος &c. Vide Reliquias ex Polybii lib. XXI. cap. 5. ubi pro eo quod vulgo legebatur κοντοὶ προτείναντες τοῖς κύμασιν εἰς θάλασσαν, certa de coniectura τοῖς κέρασιν correximus. Verbum vero ἐκπαράττεσθαι, quod in ἐπαράττεσθαι mutavimus, locum ſuum tueri fortaſſe potuerat.

Pag. 250. Ῥαδιουργός. In fine illius capitis, ubi legitur καὶ συλλήβδην διὰ τὰς εἰς αὐτοὺς ἀθεσίας, praepoſitionem διὰ, cum abeſſet a ſuperioribus Suidae editionibus pariter atque a mſstis codicibus, tacite inſeruit Küſterus. Vetus iſtud mendum erat, quod optimos etiam ac vetuſtiſſimos Polybii codices invaſerat: at non tam διὰ τὰς – – ἀθεσίας, quam ταῖς – – ἀθεσίαις corrigi debuit. Vide notata noſtra ad Polyb. IV. 29, 4. Nec vero illa mutatione opus erat, quam eidem loco idem Küſterus adtulit, quod pro εἰς αὐτοὺς (quam in ſcripturam ſuperiores omnes Suidae editiones cum Polybianis codicibus

Digitized by Google

consentiebant) εἰς αὐτοὺς scripsit. εἰς αὐτοὺς idem valet ac εἰς ἑαυτοὺς, quod idem sonat ac εἰς ἀλλήλους.

Pag. 413. Συστήσας. – – συστήσας ἱππεῖς πεντακοσίους, δυναμένους ἔτι πονεῖν. Videri nobis ἐπιπονεῖν scriptum oportuisse, profesti sumus in Polybii Fragm. p. 98. n. 122. Quod verbum ἐπιπονεῖν, quum nullo adducto veteris scriptoris testimonio positum esset in Henr. Stephani Thesauro, auctoritate Xenophontis (ex Laced. 2, 5. Hellen. 6, 1. 4.) nuper firmavit doctissimus Schneider in Lexico Graeco critico.

Pag. 453. Τετραποδητί. ποσὶ, καὶ χερσίν. Οἱ δὲ τετραποδητὶ τρόπον τινὰ προσπλεξάμενοι, ἐβιάζοντο. Ad haec KÜSTERUS adnotavit: »Malim, τετραποδιστί.» — At nil mutatu opus: vide Polyb. V. 60, 7. unde ductum illud testimonium. In more hoc habuit Lexicographus noster, ut veterum auctorum testimonia, in quibus oratio obliqua quodammodo aut infinita esset, a verbis Οἱ δὲ inciperet; quo scilicet oratio recta prodiret, & verbum in indicativo modo poneretur, atque ita magis perspicua redderetur dictionis ratio.

Pag. 499. Τρέχειν τὴν ἐσχάτην. Ἐὰν τὸ δὴ λεγόμενον &c. Polybii verba sunt: vide Reliquias libri XVIII. 35, 6. & quae ad eum locum notavimus Tom. VII. pag. 397.

Pag. 555. Ὑποκαθέζεσθαι. – – ἐνέδραν ὑποκαθέσθαι ἐπὶ τοῖς λασίοις. Proprium editionis Küsterianae erratum est istud ὑποκαθέσθαι, pro quo ὑποκαθέζεσθαι (uti consentaneum erat) scribitur in superioribus editionibus. Conf. Lexicon nostrum Polybianum, voce Ὑποκαθέσθαι, p. 636 sq.

Pag. 556. Ὑποκρούειν. Vide Adnotat. ad Polyb. XVII. 4, 3.

Pag. 572. Φαβέας: & *pag.* 577. Φαμέας. Vide quae supra ad Suidae Tom. I. pag. 140. diximus.

Pag. 643. Φύλαρχος, Ἀθηναῖος. – – καὶ ἕως τοῦ θανάτου Κλεωνύμου τοῦ Λακεδαιμονίου &c. Κλεομένους corrige: & in Latina versione, *ad mortem usque Cleomenis*

Digitized by Google

Lacedaemonii: de quo vide Indicem noſtrum Hiſtoricum & Geograph. in Polybium.

Pag. 662. Χαίρων, Λακεδαιμόνιος. De toto hoc capite vide Polybii Reliquias ex libro XXV. cap. 8. cum noſtris Adnotatis, Tom. VII. pag. 566 ſq.

Pag. 678. Χορηγία. δόσις. καὶ Πολύβιος· Μὴ οἷον &c. Iſta in hunc modum haud dubie ſcripſerat Suidas: Χορηγία, δόσις. καὶ Χορήγιον. Πολύβιος· Μὴ οἷον &c. Conf. Lexicon noſtrum Polybianum, voce Χορηγεῖον.

COMMENTATIONUM CONSPECTUS.

I. Exercitationes in Appiani Alexandrini Romanas Hiſtorias. pag. 3.

II. De impreſſis ac manuſcriptis Hiſtoriarum Appiani Codicibus. pag. 97.

III. Emendationes & Obſervationes in Suidam. pag. 135.

IV. Novus Faſciculus Emendationum & Obſervationum in Suidam. pag. 199.

Bayer. Staatsbib. Münch.

Digitized by Google

Digitized by Google